Digitized by the Internet Archive
in 2017 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/maurisartimonach00sart

MAURI SARTI
MONACHI ET CANCELLARI CAMALDULENSIS

DE VETERI CASULA DIPTYCHA

DISSERTATIO.

FAVENTIÆ

Apud Josephum Antonium Archium.

A. Rep. Sal. cIↃ. IↃ. cc. LIII.

Præsidum Facultate.



Joſeph de Benedictis. Bonon. in.

ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO

FERDINANDO ROMUALDO
GUICCIOLO
RAVENNÆ ARCHIEPISCOPO
ET PRINCIPI

MAURUS SARTIUS FELICITATEM.

E*Runt fortaſſe qui reprehendant conſilium meum*, Illustrissime, et Reverendissime Domine, *quod meam hanc lucubratiunculam, neque ob reconditas literas, neque ſaltem mole ipſa ſpectandam, Tibi dedicare auſus ſim. Dicent, opinor, non eſſe prudentis hominis, quique amplitudinem dignitatis Tuæ ſatis agnoſcere, & quanti par eſt facere videatur, tam exiguum, & vere levidenſe munus ad Te deferre. Verum ego genus hoc reprehenſionis minime pertimeſco. Quid enim? An quia meis viribus effici non poteſt, ut inſigne aliquod, atque conſpicuum meæ in Te obſervantiæ monumentum exiſtat, nihil conandum erit, ut ſit aliquid, quo homines intelligant, non dico me Tibi multis nominibus plurimum debere, ſed eſſe omnino ex aſſe devotum? An perpetuo ſilentio ſummæ beneficen-*

tiæ tuæ per me erit litandum? Ego vero homo non ſim, ſi multis, & magnis beneficiis a Te auctus, eorum memoriam in me emori patiar. Mitto enim quæ Tua cura mearum rerum fuerit, atque ſtudiorum, jam inde a primis annis, cum in hunc ordinem Camaldulenſem cooptatus ſum; quo tempore, cum admodum intempeſtive parentem optimum Petrum Cannetum abbatem Claſſenſem, qui me nuper, Te autem multo ante in hunc ipſum ordinem adlegerat, morte ereptum amiſiſſemus, ſic Tu in ejus locum ſucceſſiſti, quaſi filiorum natu maximus orbatæ familiæ ſuſtentationem ſuſcepturus, ut, & monaſterium Claſſenſe multis adverſis caſibus afflictum, Tuis laboribus, & vigiliis, non ſolum caput erexerit, ſed magis etiam, quam umquam antea, florere inceperit, & omnes ejus monaſterii alumni, atque ego in primis, cujus tuendi, atque ornandi nullum feciſſe finem videris, quidquid ab amantiſſimo patre ſperare fas eſt, id a Te ſimus uberrime conſecuti. Poſt autem, cum eſſes certiſſimo Dei nutu aſſumptus ad regendam hanc metropolitanam eccleſiam Ravennatem, ut quidam quaſi cumulus accederet ad ſuperiora illa beneficia, quæ in me contuleras, non diu paſſus es, latere me in illo Cuprenſium Montanorum receſſu in Picentibus, quo me, alieniſſimo meo tempore, abdideram; ſed penes Te accitum graviſſimo theologi Tui munere fungi voluiſti. A quo quidem munere, cum nuper Tecum ageret ſummus ordinis noſtri

modera-

moderator Germanus Giorginius, vetere Tibi neceſſitudine conjunctiſſimus, ut mihi vacationem concederes, propterea quod vellet ipſe, ſi Tibi videretur, opera mea uti, & munus aliud in ordine noſtro per quam honeſtum mihi demandare; ſic Te annuiſſe intelligo, ut gaudere Te commodis, atque honoribus meis diceres, nec magis amorem erga me Tuum in me accerſendo, ac penes Te retinendo, quam nunc tandem in mittendo oſtenderis. Patere igitur, Praeſul Ampliſſime, ut, qui tam prolixam voluntatem, & beneficentiam Tuam in hanc uſque diem ſum expertus, hoc qualecumque grati animi mei teſtimonium poſteritati relinquam. Neque vero ſit aliquis, qui a me requirat hoc loco, ut immortales laudes Tuas, quod ceteri in re ſimili facere ſolent, attingam. Eſſet hæc enimvero ampla dicendi materies, in qua non metuerem, ne mihi umquam deeſſet oratio. Quis enim eximias animi Tui dotes, virtuteſque ſatis prædicare poſſit, quæ primum in ordine noſtro, cum omnes in Tui admirationem rapuiſſent, aditum Tibi ad majores quosque honorum gradus aperuerunt; deinde vero tantam Tibi apud ceteros mortales, ac viros principes exiſtimationem conciliarunt, ut vel ipſe ſummus eccleſiæ hierarcha Benedictus XIV. P. O. M. quo, ut eſt ipſe in omni virtute excellentiſſimus, neminem reperire licet in aliorum virtute æſtimanda prudentiorem, cum metropolitanæ eccleſiæ Ravennati, poſt obitum Maphæi Nicolai Farſetti archiepiſcopi, virum præficere vellet, qui non ſolum omnes

optimi

optimi paſtoris partes impleret, ſed grandia etiam a Farſetto ipſo inchoata opera feliciter abſolveret, Te unum, ſuo judicio probatiſſimum, elegit, cui tantum munus committeret. Multa ergo, plane mira, & ſupra uſitatum modum, dicere poſſem de doctrina, & prudentia Tua ſingulari, de eximia pietate, & ſtudio religionis, de effuſa caritate in pauperes: multa de magnitudine animi Tui, deque conſtantia in tuenda, atque, ubi opus ſit, reſtituenda optimis legibus, atque inſtitutis eccleſiaſtica diſciplina; in juribus eccleſiæ Tuæ aſſerendis, & vindicandis; in maximis denique ipſius Eccleſiæ Tuæ commodis, atque utilitatibus procurandis: multa denique de frugalitate, & abſtinentia incredibili, de humanarum rerum abdicatione, & contemptu, deque univerſa vitæ Tuæ ratione, quam ſic in ampliſſima dignitate, in qua haud ſane plurimos in eccleſia Dei ſuperiores habes, ducere inſtituiſti, ut qui in ceteris rebus præſtantiſſimum in Te archiepiſcopum reverentur, iidem in cultu domeſtico, & privatis rebus monaſtici inſtituti cultorem ſtudioſiſſimum agnoſcant. Poſſem in hiſce enarrandis, ſi per Te liceret, videri diſertus; ſed nihil Tibi æque inviſum eſt, atque univerſum hoc laudationis genus. Silebo igitur, nec committam, ut dum beneficia Tua commemoro, grandem injuriam modeſtiæ Tuæ inferam. Deus Te ſoſpitem quam diutiſſime ſervet, Præſul Ampliſſime, ad magnam eccleſiæ Ravennatis utilitatem, & noſtri ordinis ornamentum, & decus.

Lectori candido.

CUM male tornatam hanc opellam incudi reddere pararem, adverſa valetudo interceſſit, ex qua cum vix relevari cœpiſſem, ſolum mihi vertendum fuit, eoque veniendum, ubi neque otii, neque librorum ſatis habiturus eſſem ad hoc genus ſtudiorum perſequendum. Itaque nihil propius factum eſt, quam, ut informem hunc partum ſuppeſſerim, & perpetuis tenebris damnarim. Sed vicerunt amicorum ſtudia, eorum imprimis, qui, cum mihi auctores fuiſſent ad hunc qualemcumque laborem ſuſcipiendum, iidem ad edendum ſuaſores, vel potius, quaſi hoc ad officium pertineret, ſeveriſſimi exactores fuerunt. In his reticere non poſſum Jo. Baptiſtam Donatum, hominem apprime doctum, & ICtum illuſtrem, qui cum ampliſſimo præſule Nicolao Oddo, cui erat a cognitionibus, Ravennam venerat, cum is prolegati munere in hac provincia fungeretur, & Mariangelum Flacchium mei ordinis monachum, Claſſenſi bibliothecæ præfectum, virum doctrina præſtantem, & moribus ſuaviſſimis, atque innocentiſſimis. Servabat hic in forulis bibliothecæ ſuæ fragmenta veteris caſulæ pictæ, quam olim integram viderat in ſacrario Claſſenſi Hieronymus Rubeus, quæ mihi cum oſtendiſſet, & Donato item, multi inter nos ſermones de tam rari cimelii reliquiis ultro citroque habiti, multæ de imaginibus, & epiſcoporum nominibus, quæ in ea caſula picta erant, haud ſane multum probabiles conjecturæ. Hæſimus diu incerti quid rei hoc eſſet, ſed tandem videre mihi viſus ſum in iis laciniis reliquias quaſdam antiquiſſimi diptychi eccleſiæ Veronenſis. Quod cum Donato, & Flacchio renunciaſſem, extorſerunt primum a me, ut quidquid de ea re tota cogitaſſem, mandarem literis, & monumentum adeo illuſtre ab interitu vindicarem. Poſt autem acrius agere inſtituerunt, neque mei laceſſendi finem ſe facturos edixerunt, quoad emiſiſſem in publicum quidquid iſtud eſſet, quod de ea veteri caſula commentatus eſſem. Quod ſi nec ſatis politum, nec eruditis auribus dignum videbitur, habes, Candide Lector, quos in partem hujuſce malefacti advocare oporteat.

D. GER-

D. GERMANUS GIORGINI A MELDULA

Abbas Generalis totius Ordinis Camaldulenſis.

CUM librum, cui titulus eſt: *Mauri Sartii Monachi & Cancellarii Camaldulenſis de Veteri Caſula Diptycha*: unus ex noſtris Theologis, cui examen commiſimus in lucem edi poſſe affirmaverit, Nos præfatum librum typis mandandi facultatem auctori largimur, ſi ceteri, ad quos pertinet idipſum cenſuerint. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & noſtro item ſigillo munitas dedimus. Ex noſtro Monaſterio Ss. Hippolyti & Laurentii Faventiæ VI. Kal. Jul. MDCCLIII.

D. G. AB. GENERALIS CAMALD.

L. ✠ S.

D. Romualdus Folegatti Procancellar. Camald.

Vidit.

Joſeph Crollalancia Soc. Jeſu pro Illmo & Rmo D. D. Antonio Cantoni Epiſcopo Faventino.

Die VI. *Jul. Imprimatur.*

F. Pius Raymundus Petrelli Vicarius Generalis Sancti Officii Faventiæ.

DE VETE-


I.
MONTANVS EPS
INNOCENCV EPS
PETRONIVS EPS
SCS FIRMVS
MICHAEL
GERMN: EPS
SATVRNIN EPS
FELIX EPS
II.
III.
IV.
SILVINVS EPS
ZENO EPS
THEODOR· EPS
CONCESS EPS
VERECVND EPS
GRICINVS EPS
SCS FIRMVS
MICHAEL

DE VETERI CASULA DIPTYCHA.

CAPUT I.

I. Ravennæ urbis antiqua diviſio. In ejus parte, quæ Claſſis dicebatur, nobile templum Sancto Apollinari ſacrum. II. Pretioſa caſula in ejus templi ſacrario. III. A Rubeo deſcribitur. IV. Chriſtiani Auguſti Salig de caſula Claſſenſi in Rubeum cenſura. V. Ejuſdem conjectura infelix de Epiſcopis in caſula Claſſenſi pictis. VI. Non ignota Juſto Fontaninio, & Dominico Georgio caſula Claſſenſis. VII. Epiſcopi Veronenſes in ea caſula expreſſi. VIII. Eorum ſeries duplici ſchemate expoſita. IX. X. Caſulæ Claſſenſis dimenſio.

I.

FUIT olim Ravenna, inter urbes Italicas cum primis ampla, & illuſtris, diviſa in partes tres (a) Quæ potior erat, & nobilior, atque ad hanc uſque diem perſtat, Ravenna ſemper eſt dicta. Reliquarum duarum, quæ ſuperioribus ſæculis penitus exciſæ, & deletæ ſunt, alteram dixere Cæſaream, alteram Claſſim. Erat tertia hæc a Ravenna ipſa remotior, Candiano portu, & navali Romanorum inſignis, unde & Claſſis nomen eſt nacta. Atque hujus quidem tanta olim fuit & amplitu-

(a) *Conſule Hier. Rub. hiſt. Ravenn. l.* 1. *p.* 14. 37. *l. iv. p.* 178. *&c. edit. Venet. apud Guerræos a.* 1589. *Cluverium Ital. antiqu. l.* 1. *c. xxviij.*

amplitudo, & opulentia, ut quandoque civitatis nomen geſſerit, & fortunam ſubierit; ſæpe enim obſeſſam, & captam, & hoſtili populatione vaſtatam legimus (*a*). Nunc portus jam nullus, nec priſtina loco facies, mari, quod proximum erat, ſenſim recedente, & ad plura milliaria in continentem converſo. Nullum etiam antiquæ civitatis veſtigium ſatis conſpicuum ſupereſt, ſi celeberrimum illud in Ravennati hiſtoria templum excipias, divo Apollinari primo Ravennatum antiſtiti ſacrum, in quo ſanctum ejus corpus quieſcit, quodque annis ab hinc circiter mille ducentis conditum (*b*), cum antiqua, tum recenti religione ſacerrimum eſt, & veterem magnificentiam, dignitatemque, quantum ſivere tot temporum viciſſitudines, ad hanc diem tuetur.

II.

In ejus templi ſacrario, quod olim plurima ſacra veſte, & ſupellectili pretioſiſſima inſtructum fuit, caſula erat perantiqua, ex ſerico, & argento contexta, cui appictæ erant plures Sanctorum, & Epiſcoporum imagines, ſuis quæque nominibus diſtinctæ, cujus vix aliquæ nunc laciniæ reſtant, quibus illuſtrandis, & ab interitu vindicandis opellam meam, non inutilem forte futuram, impendere aggredior. Hieronymus Rubeus, ſcriptor eximius, rarum hoc cimelium *Caſulam Diptycham* non inſcite appellavit in tertio Ravennatis hiſtoriæ libro, ubi nonnulla de ſacris diptychis eleganter diſſerit: *Quamqam*, inquit, *eccleſiarum diptycha putantur fuiſſe tabulæ ſacræ duæ, quarum in altera vivorum, in altera mortuorum Epiſcoporum, qui recitabantur in ſacrificio Miſſæ, nomina deſcribebantur, non erit tamen fortaſſis abſonum opinari, fuiſſe etiam quandoque veſtem illam, qua ſupra ceteram induitur ſacerdos, cum Miſſam celebrat; caſulam, & planetam appellant. In hanc ſententiam adducit me, tum quod ea ſit veſtis duplex, anterius, ac*

(a) *Agnel. Vit. Pontific. Ravennat. edit. Bacchin. P.* II. *p.* 228. *pag.* 416.

(b) *S. Maximianus Ravennatum antiſtes templum Claſſenſe dedicavit anno DIL, qui in antiqua inſcriptione, ibidem appoſita, his notis inſignitur: IND. DUODEC. OCTIES. PC. BASILI. JUN. Eam vide ſis infra cap.* VII.

rius, ac poſterius ex humeris delabens, tum quod inter ſacras divorum reliquias, in Claſſenſi ſacrario, hujuſmodi veſtem repererim, vel antiquitate venerabilem, in qua talia inſcripta ſunt nomina (a).

III.

Erat hic locus caſulæ Claſſenſis deſcribendæ, quod, cum eximius auctor ibi prætermiſiſſet, *in Indice locupletiſſimo*, quem, *notationibus quibuſdam additis*, Ravennati hiſtoriæ ſubjecit, lectores ſuos tam præclari monumenti uberiore notitia fraudari non ſivit. Itaque, quod erat in ea caſula dignum cognitione hominum eruditorum, in hunc modum deſcripſit: *Quam vero diximus*, inquit, *in hac hiſtoria caſulam, diptychorum imaginem referentem, in ſacrario Claſſenſi ſervari, ea e ſerico argenteo texta eſt, in cujus anteriori parte intra duas lineas, ſurſum, ac deorſum recta deductas, deſcripta opere phrigio, in circulis habet hæc nomina. Sigibertus Epiſcopus. Andreas epiſcopus. Dominicus epiſcopus. Modeſtus epiſcopus. Clemens epiſcopus. Valens epiſcopus. Arborius epiſcopus. Romanus epiſcopus. Maurus epiſcopus. Conceſſus epiſcopus. Petrus epiſcopus. Tranſverſim vero ab uno humero ad alterum intra duas item lineas, minime rectas, ſed arcus modo ſurſum flexas, eodem opere, hæc habet. Conceſſus epiſcopus. Verecundus epiſcopus .Senator epiſcopus. Junior epiſcopus. Lupinus epiſcopus. Siabrinus epiſcopus. Lucius epiſcopus. Agapitus epiſcopus. In dorſo inter duas lineas rectas item, rurſum, ac deorſum excurrentes; in medio paulo ſupra locum, ubi ſunt renes, in circulo manus eſt aperta, tranſverſim locata: ſupra ipſam hæc, in circulo quodque ſuo, leguntur. Gabriel Angelus. S. Ruſticus. Euprepius epiſcopus. Dimilianus epiſcopus. Simplicius. Proculus epiſcopus. Infra manum hæc ſunt. Michael Angelus. Heſcirmus. Petronius epiſcopus. Innocentius epiſcopus. Montanus epiſcopus. In cornu tranſverſo, ſurſum etiam ſinuato, ita habetur. Zeno epiſcopus. Gricinus epiſcopus. Lucillus epiſcopus. Saturninus Epiſcopus. Germanus epiſcopus. Felix epiſcopus. Silvinus epiſcopus. Teodomus epiſcopus (b).* Ita caſulam Claſſenſem exhibet Rubeus, cujus tamen, niſi id vitio typographi

 verten-

(a) *Hier. Rub. Hiſtor. Ravenn. l. III. ad an. DXV. p.* 135. 136

(b) *Idem in Indice ad Hiſtor. Ravenn. V. Diptycha.*

vertendum ſit, haud ſumma fuit in iis nominibus exſcribendis diligentia, ut ſubinde conſtabit.

I V.

Non ignoravit hanc caſulam Claſſenſem Chriſtianus Auguſtus Salig, cum nuper ſcriberet de *Dipthychis veterum tam ſacris, quam profanis*. (*a*) Non probavit tamen vir eruditiſſimus ejuſmodi caſulas, Claſſenſi ſimiles, quibus Epiſcoporum nomina inſcripta eſſent, diptychorum loco habitas fuiſſe. Qui enim fieri potuiſſet, inquit, ut in ſacrorum celebratione nomina Epiſcoporum ex hujuſmodi caſulis recitarentur? Quanta vero difficultas in curſim legendis nominibus, quæ in ſuis quæque orbiculis ſcripta eſſent, nunc ad dorſum, nunc ad ſcapulas, nunc ad pectus currente oculo? Sed, præter quam quod clarus hic auctor id genus caſularum, quæ Epiſcoporum nominibus, & imaginibus inſignes eſſent, ſatis uſitatum fuiſſe ſupponit, quod nec a Rubeo dictum eſt, nec ipſe demonſtrat, vereor etiam ne is Rubei mentem ſatis ſit aſſecutus, qui caſulam Claſſenſem voluiſſe videtur appellari poſſe diptycham, non quod ex ea, quemadmodum ex ſacris diptychis, Epiſcoporum nomina in ſacrificio recitarentur, ſed quod ſacrorum diptychorum quamdam ſimilitudinem gereret. Quod enim fortaſſe minus accurate Rubeus dixerat in tertio Ravennatis hiſtoriæ libro, de ejus caſulæ uſu, tacite correctum voluit in hiſtoriæ univerſæ Indice, ubi non eam pro diptycho habuit, ſed diptychorum imaginem referre dixit. Magis igitur reprhendendus ipſe Salig, qui non conjectando, ut Rubeus ſed decretorie definiendo, pronunciat Epiſcoporum nomina, huic caſulæ inſcripta, peculiarem quemdam ritum, qui olim in Eccleſia fuerit, omnino deſignare. (*b*) Ego hic, quod viri doctiſſimi pace dixerim, nullum video peculiarem ritum, niſi quis eo nomine appellare velit laudatiſſimam illam, & paſſim receptam conſuetudinem pingendi, non ſolum in ſacris ædificiis, ſed etiam in ſacerdotum veſtibus, & altarium velamentis Epi-

(a) *Chriſt. Auguſt. Salig de diptychis veter. c.* 1. *n. xiij p.* 17. *ſequ.*
(b) *Huic caſulæ epiſcororum nomina inſcripta omnino peculiarem quemdam olim in eccleſia ritum denotant.* Salig. loc. cit.

tis Epiſcoporum cujuſque Eccleſiæ imagines, qua de re poſtea dicemus.

V.

Quod autem idem vir clariſſimus hariolatur, & conjicit, tot nomina Epiſcoporum caſulæ Claſſenſi propterea appicta fuiſſe, quod illi in ea ipſa caſula ornanda, & ditanda laborarint, vel eam a temporum injuria ſervare ſtuduerint (*a*), vix quemquam probaturum exiſtimo. Nam primo, ſi ea nomina Epiſcoporum peculiarem quemdam eccleſiaſticum ritum, olim uſu receptum, oſtendunt, ut paulo ante dixerat, quomodo ejus caſulæ ornatores, reſtauratoreſque indicant? Eſt ne peculiaris hic ritus, olim in Eccleſia uſitatus? Deinde quis ſibi perſuadeat, Epiſcopos quinque & triginta in una ornanda, & curanda ſacra veſte laboraſſe? Quid, quod præter Epiſcoporum nomina, & imagines, duo etiam Sancti Martyres in ea expreſſi erant Firmus (*b*), & Ruſticus, & duo Archangeli Michael, & Gabriel, imo & Deus ipſe O. M. quem manus aperta, in ſuo orbiculo delineata, medium inter Michaelem, & Gabrielem exhibebat? Non puto tantæ molis fuiſſe caſulam unam ornare, & ab injuria temporum defendere, ut præter hominum curam, ex omni cæleſtium ordine patronos, & ſpecialem Dei providentiam in id advocare oportuerit.

VI.

Ut igitur laudanda Chriſtiani Auguſti ſedulitas, qui, ut nihil, quod a quopiam dictum eſſet de ſacris diptychis, omitteret, hanc caſulam diptycham in Rubei hiſtoria expiſcari valuit, ita danda ei venia, ſi ad alia properanti, minus accurato eſſe contigit in ea perpendenda. Quamquam non is ſolum, ſed alii quoque viri eruditiſſimi, & acri ingenio præſtantes, in eximii hujus cimelii raritate æſtimanda non ſatis oculati fuiſſe viden-

(a) *Si igitur quis dixerit illi caſulæ propterea Epiſcoporum nomina adſcripta fuiſſe, quod illi ſacerdotes forte in ornanda illa, & locupletanda laborarint, vel eam a temporum injuria conſervare ſtuduerint, in me non habet diſſentientem.* Salig loc. cit.

(b) *Qui Rubeo eſt Heſcirmus. Is profecto eſt* Sanctus Firmus, *Ruſtici martyris commilito, ut ex dicendis palam fiet.*

videntur. Juſtus Fontaninius, & Dominicus Georgius VV. CC. cognitam habuere caſulam Claſſenſem non ſolum ex Rubei deſcriptione, ſed ex paucis ejus reliquiis, quæ adhuc ſuperſunt, quarum ectypa Fontaninius acceperat a Petro Canneto Abbate Claſſenſi, viro imprimis docto, & erudito, cujus ego memoriam ſanctiſſime recolo, quod me in hoc ipſo Monaſterio Claſſenſi in Ordinem Camaldulenſem cooptarit. Plurimi fecerunt viri totius antiquitatis peritiſſimi rara hæc fragmenta, ea ipſa ſcilicet, quæ æri inciſa in fronte hujus libelli exhibentur. Ac Fontaninius quidem, cum in eo libro, quem edidit de diſco votivo veterum chriſtianorum, de orbiculis, ſeu thoracibus, & clypeis, in quibus olim votivæ imagines pingi, aut celari conſueverant, copioſe tractaret, lacinias ſacræ veſtis ejuſmodi orbiculis, ſeu thoracibus diſtinctas, quas a Canneto acceperat, non prætermiſit; ejuſque caſulæ Rubeum meminiſſe ait, & ex Rubeo Cangium in Gloſſario (*a*). Georgius vero lacinias ſacræ veſtis, in ſacrario Claſſenſi aſſervatæ, commemorat in ſecundo de liturgia Romani Pontificis libro, & pluribus deſcribit, ubi de ſacris veſtibus effigiatis agit (*b*). Hoc enim exemplo utitur, ut oſtendat imagines Epiſcoporum ſacris veſtibus antiquitus appingi, aut intexi conſueviſſe.

VII.

Verum neque Fontaninius, neque Georgius, ne quid de Rubeo, & ceteris præterea dicam, id in ea caſula viderunt, quo maxime commendanda fuerat. Neque enim ea Epiſcoporum nomina, atque imagines, quibus caſula Claſſenſis ornata erat, variarum Eccleſiarum Antiſtites promiſcue exhibebant, ſed Eccleſiæ unius, quod ante me nemo ad hanc diem viderat, inter Italicas nobiliſſimæ, Epiſcopos longo ordine digeſtos, ab ipſa ejus origine ad medium uſque ſæculum VIII, indicabant. Veronenſem Eccleſiam dico, in cujus haud poſtremis laudum erit, quod antiquiores Antiſtites ſuos, non ex ineptis catalogis, ſequiori ævo conſarcinatis, neque ex populari rumore, ſed ex integerrimis monumentis poſſit agnoſcere. Tale eſt celebratiſſimus ille Rhythmus, Pipinia-

(a) *Fontanin. Diſcus votiv. c. xvij. p.* 54.
(b) *Georg. de Liturg. Rom. Pont. l. ij. c. viij. p.* 385.

. . . .

MONTANUS

INNOCENTIUS

PETRONIUS

SCS FIRMUS

MICHAEL

GABRIEL

SCS RUSTICUS

EUPREPIUS

DIMIDRIANUS

SIMPLICIUS

PROCULUS

SATURNINUS GERMANUS

LUCILLUS FELIX

GRICINUS SILVINUS

ZENO THEODORUS

AGAPITUS CONCESSUS

LUCIUS VERECUNDUS

SIABRINUS SENATOR

LUPINUS JUNIOR

PETRUS

CONCESSUS

MAURUS

ROMANUS

ARBORIUS

VALENS

CLEMENS

MODESTUS

DOMINICUS

ANDREAS

SIGIBERTUS

pinianus propterea appellatus, quod Pipino regnante, & Veronæ agente, ſcriptus ſit, in quo priores octo Epiſcopi Veronenſes recenſentur. Tale & noſtrum textile Diptychum, in caſula Claſſenſi expreſſum, tanto majore in pretio habendum, quod non ſolum octo, ſed quinque & triginta Epiſcopos Veronenſes ejus beneficio agnoſcimus. Id autem in cauſa eſt, cur mihi licere exiſtimem præclarum hoc cimelium caſulam Diptycham appellare, non quod caſula ipſa tenuem quamdam veterum diptychorum imaginem referat, ut Rubeo viſum eſt, ſed quod abſolutiſſimum Elenchum Epiſcoporum Veronenſium ab ejus Eccleſiæ origine ad medium uſque ſæculum VIII contineat. Quis enim neſcit diptychorum nomine ejuſmodi Epiſcoporum catalogos olim fuiſſe nuncupatos? Neque vero operæ pretium eſt hoc loco pluribus oſtendere quomodo ea vox e nativa & propria ſignificatione in aliam minus propriam, & latius vagantem traducta ſit, atque ex profana in ſacram evaſerit. Agunt abunde ea de re, ſatis jam nota, Wilthemius imprimis (*a*), & quem ſupra laudavi Chriſtianus Auguſtus Salig, atque, ut omittam reliquos, parce quidem, ſed accuratiſſime Bonarrotius. (*b*) Quod ſi non alia de cauſa Gennadius dipthychum appellavit Prudentii libellum, in quo totidem tetraſticis ſingulæ utriuſque teſtamenti hiſtoriæ explicantur, quam, quod Prudentius iis verſibus deſcribere videatur diptychum eccleſiaſticum, in quo hiſtoriæ illæ eſſent depictæ; (*c*) multo magis licebit mihi eo nomine appellare veterem illam caſulam Claſſenſem, in qua, præter Epiſcoporum Veronenſium Elenchum, ſunt etiam expreſſæ, rudi quidem minerva, ſed non indiligenti opere, eorumdem imagines. Sed magnopere dolendum eſt, vix aliquas particulas ejus caſulæ ad nos perveniſſe, quæ ſi temporis vim viciſſet, loqueretur ipſa per ſe ſe, vel potius ſucceſſionem Antiſtitum Veronenſium a prima ejus Eccleſiæ origine, hoc eſt ab Euprepio ad Sigibertum, qui medio ſæculo VIII Epiſcopatum geſſit, ut poſtea oſtendam, ſub omnium oculos poneret. Sed tamen ex illis ipſis reliquiis, quæ ſuper-

(a) *Wilthem. comment. ad diptych. Leod.*
(b) *Buonarrot. oſſervaz. ſopra alcuni frammenti ec. p. 231. ſeq.*
(c) *Ibidem p. 10.*

ſuperſunt, invicem collatis, facem imprimis præferente Rubeo, qui caſulam ipſam vidit, & copioſe deſcripſit, poſſumus integram Epiſcoporum ſeriem, ut ibi picta erat, animo concipere. Eam poterit unuſquiſque in ſubiecto duplici ſchemate obſervare (*a*), qualem ſcilicet poſt diutinam meditationem concinnare licuit. Neque vero aliam excogitare datum eſt, in qua tria fragmenta, quæ habemus, cum deſcriptione ejus caſulæ a Rubeo relicta, melius congruere poſſint.

VIII.

In primo igitur ſchemate tabulæ ſecundæ videre licet, quem locum tenerent in ornatu caſulæ Claſſenſis ſingulæ illæ tres laciniæ, quæ adhuc ſuperſunt; neque enim per totum caſulæ corpus pictæ erant illæ Sanctorum, & Epiſcoporum imagines, ſed in tænia quadam, ſive aureo clavo, ante, & retro diſcurrente, cujus figuram, hoc ipſo primo ſchemate exhibere placuit, uberius infra explicandam. In altero ſchemate, ſingulorum Epiſcoporum, & Sanctorum, qui partim in noſtris laciniis cernuntur, partim ex Rubei deſcriptione innoteſcunt, diſtributio continetur. Illud autem imprimis unuſquiſque animadvertere poterit, ex utriuſque tabulæ inſpectione, ſic imagunculas omnes fuiſſe, in ſuis quaſque orbiculis diſpoſitas, ut in poſtica parte, & ora infima treſdecim orbiculi picti eſſent, octo autem hinc & inde, qua tænia bicornis, & quaſi in duas ſciſſa, e dorſo medio in humeros ferebatur, ut in pectus utrinque deflueret, ubi rurſus in unam coaleſcens, decidebat e medio pectore in pedes, orbiculos undecim complexa. Hinc autem palam fit primo, caſulam Claſſenſem breviorem in antica parte fuiſſe, quod non dubito, quin ceteris antiquis caſulis commune fuerit, quamquam haud ſcio, an a quoquam obſervatum ſit. Deinde cognita menſura totius aureæ tæniæ, quæ caſulæ noſtræ aſſuta erat, tota ipſius caſulæ altitudo facillime poteſt cognoſci. Licet autem totius tæniæ longitudinem definire ex laciniis, quæ ſuperſunt. Quare, habita diligenti earum dimenſione, & rationibus rite deductis, compertum eſt caſulæ altitudinem, ex ima ora uſque ad inſertionem colli,

(a) *Tab.* II. & III.

Fig. 1. Tab. II.

Pag. 8.





Fig. 2. Pag. 31.



colli, ſi ad pedem capitolinum veterem exigatur, fuiſſe pedum ſex, unciarum circiter octo, in antica vero, pedum circiter ſex.

IX.

Hac poſita caſulæ Claſſenſis altitudine, ingenti ſane ſtatura ſacerdotem fuiſſe oportet, qui ea commode, decenterque in re divina procuranda uteretur, ac multo majori, quam, quæ noſtrorum hominum nunc eſſe ſolet, quæque etiam fuiſſe videtur ſub Romanis Imperatoribus, quantum conjicere datur ex ſtatura, quæ in militum delectu, ex Romanarum legum præſcripto quærebatur. Auctor quippe eſt Vegetius, olim apud Romanos militarem ſtaturam fuiſſe pedum ſex, aut ſaltem quinque, & unciarum decem (*a*). Sed poſtmodum aliquanto minor proceritas in tyronibus quæſita eſt, ex Valentiniani I. lege, ad annum CCCLVII. lata, qua decernitur, ut *in quinque pedibus, & ſeptem unciis uſualibus delectus habeatur* (*b*). Atque huc facit, quod legimus in actis Sancti Maximiliani Martyris, apud Ruinartium. Cum Theleſte in Numidia delectus militum haberetur, Tuſco, & Aquilino Coſs., ideſt anno CCXCV. Maximilianum chriſtianum juvenem ad militare ſacramentum adigere tentarunt, qui delectui præerant, eo quod incumetum, ideſt rite dimenſum, compertum erat ejus ſtaturam eſſe pedum quinque, unciarum decem. Locus inſignis eſt, & digniſſimus, qui huc afferatur, mihi olim ab Antonio Zirardino Icto Ravennati, homine docto, & erudito, indicatus, cum inter nos, de ſtatura militum Romanorum legitima, ſermo incidiſſet: *Admiſſo Pompejano advocato idem dixit...... quoniam* (Maximilianus) *probabilis eſt, rogo, ut incumetur....... Dion Proconſul dixit: Apta illum: cumque aptaretur Maximilianus, reſpondit: Non poſſum militare: non poſſum malefacere. Chriſtianus ſum. Dion Proconſul dixit: Incumetur. Cumque incumetus fuiſſet, ex Officio recitatum eſt: Habet pedes quinque, uncias decem. Dion dixit ad Officium: Signetur.*

X.

At ſi quis ex caſula noſtra conjicere velit ſtaturam hominis, qui

(a) *Apud Fontanin. de Diſco votiv. in præfat. n. vii. pag. xxx.*
(b) *Cod. Theodoſ. l. viij. tit. xij.*

qui eam induere commode potuerit, multo majorem, quam, quæ in milite Romano eſſe debebat, inveniet. Mihi vero, dum ejus veſtis altitudinem conſidero, occurrunt animo procera illa Langobardorum corpora, quæ olim hæc loca, quæ nos incolimus, tenuerunt, cum ea gens Italiam, ſuperiorum temporum calamitatibus deſolatam, invaſit, & quaſi in vacuo regno ſe, ſuamque ſobolem mirifice propagavit, qua ex ſtirpe pronum dictu eſt, pleroſque noſtrum prognatos eſſe. Conſtat autem Langobardos ab ingenti ſtatura laudatos fuiſſe, (*a*) non ſecus ac Germanos, ex quo genere Langobardi fuerunt. (*b*) Videndus hac de re Fontaninius, qui de Langobardorum proceritate plura congeſſit (*c*). Atque, ut is ex oſſium cujuſdam cadaveris, apud Peruſium defoſſi, magnitudine, conjecit, fuiſſe illud cujuſpiam Langobardi cadaver, ita non abſurdum fortaſſe erit, caſulam Claſſenſem, ob ejus altitudinem ſatis cognitam, ævo Langobardorum tribuere. Sed jam vereor, ne quis me ad nugas delapſum judicet. Redeo igitur ad figuram aureæ tæniæ, caſulæ Claſſenſi aſſutæ, quam in utroque ſchemate tabulæ II. & III. ſub omnium oculos exhibere operæ pretium exiſtimavi. In cujus quidem figuræ conformatione, ne cui fucum facere videar, quoniam hac de re tota judicium ferre nullus poterit, cui antiquarum caſularum, quæ olim forma, quique ornatus fuerit, plane perſpectum non ſit, juvat hiſce de rebus tantiſper diſſerere.

CAPUT

(a) *Germani ſeptipedes a Sidonio dicuntur* (Carm. xii.), *& paſſim ab antiquis ſcriptoribus, ac præſertim a Cornel. Tacit. grandia eorum corpora memorantur.*

(b) *Paulus Diac. hiſt. Langobard. l. i. c. ij.*

(c) *De Diſco votivo loc. cit.*

CAPUT II.

I. Veteris Caſulæ forma. II. Ejus ornatus multiplex. Imagines variæ, caſulæ ſacræ appingi ſolitæ. III. Epiſcoporum imagines, ſtudioſe in eccleſia ſervatæ. Exemplum eccleſiæ Neapolitanæ. IV. Item & CPolitanæ, ex Anaſtaſio. V. Et Ravennatis, & Romanæ. VI. Series antiſtitum Ravennatum, in altaris velamine expreſſa. VII. Ad eum modum & Veronenſium ſeries in caſula Claſſenſi. Veronenſis nominis celebritas apud Ravennates.

I.

ET veteris quidem caſulæ quæ figura fuerit, nemini obſcurum eſſe poteſt. Veſtis erat admodum ampla, in ſummo tantum aperta, qua caput emitti poſſet. Totum corpus circumquaque tegebat, involvebatque, nec ulla erat ſciſſura exerendis brachiis, quæ propterea non aliter extrahi poterant, quam extremo caſulæ limbo, in brachia ipſa ſublato, vel ad ſcapulas projecto. Hæc univerſim de veteri caſula dici poſſe exiſtimo. At quod aliqui eam ita fere deſcribunt, ut eſſet *veſtis tota integra, circulatim ad pedes uſque demiſſa (a)*, non undequaque verum cenſeo, refragari enim videntur quædam antiquæ imagines, ac præſertim illa Joannis XII. quæ olim teſſellato opere picta erat in Lateranenſi oratorio S. Thomæ. Eam multi edidere, atque imprimis diligentiſſimus Ciampinius (*b*). Cernuntur ibi plures ſacri miniſtri, Pontificem induentes caſula gammadia, non equidem rotunda, ſed utrimque acuminata. In antiquo etiam muſivo Ravennatis Eccleſiæ S. Martini in cælo aureo, ſeu S. Apollinaris novi, quod circa annum DLXX. concinnatum dicitur, quidam ſacri miniſtri cernuntur, caſulam utrimque ad latera acciſam induti, ad eum fere modum, quo nunc eſt in uſu, multo tamen longiorem, & inferne acumina-

(a) *Vide Georgium de liturg. Rom. Pont. l.* 1. *c. xxiv. n. viij. Ferrarium de re veſtiar. c. xxxvi.*

(b) *Ciampin. de ſacr. ædific. a Conſtantin. M. conſtruct. p.* 14. *tab. iv.*

tam (*a*). Tales etiam ſunt caſulæ, quibus induti ſunt Apoſtolorum principes Petrus, & Paulus, & S. Laurentius in vitro antiquo apud Bonarrotium (*b*). Adde caſulam S. Bonifacii Moguntini, cujus pervetuſtam imaginem, in Antiquitatibus Fuldenſibus, edidit Brovverus. Ea eſt in ſigillo Henrici Abbatis Fuldenſis expreſſa, quod videre etiam licet in Thuringia ſacra (*c*). Caſulis vero brevioribus, quæque vix ad mediam tibiam defluunt, indutos Ravennates Epiſcopos Maximianum, Eccleſium, Severum, Urſum, & Urſicinum, exhibent nobis muſiva integerrima, in templo S. Vitalis, & noſtro Claſſenſi, quæ facta dicuntur haud multo poſt medium ſæculum VI. Eſt autem in Claſſenſi noſtro viſenda imprimis S. Apollinaris imago, ſane ſpecioſiſſima, quam dum conſidero non admodum diſſimilem, ab ea, quæ in Eccleſia S. Apollinaris novi, eodem muſivo opere eleganter expreſſa, cernitur, hæc mihi cogitatio oboritur eam eſſe veram S. Apollinaris effigiem; neque enim ſupra fidem eſt, ut in Eccleſia Romana SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli, ita in Ravennati Eccleſia, pio fidelium ſtudio, ſervatam eſſe nativam, ac genuinam S. Apollinaris, ejus Eccleſiæ parentis, imaginem. Eam hic damus æri inciſam, in qua, etſi caſulam videas, in brachia ſublatam, non ea tamen fuiſſe videtur ejus longitudo, ut ad pedes uſque defluere potuerit (*d*). Sed quamvis nonnulla occurrant exempla caſularum aliquanto breviorum, & quæ ad latera tantiſper apertæ eſſent, tamen fatendum eas, ut plurimum, ampliſſimas, & talares fuiſſe, ac talem formam ſervaſſe, iis etiam ſæculis, quæ corruptiſſima ſolemus appellare. Subinde autem ita *acciſa eſt, decurtata, atque aliam prope in ſpeciem deformata, ut ſi cum illa ſua priſca, unde defluxit, atque degeneravit, componatur, vix ſuum tueatur nomen*, ut non injuria clarus auctor, & rerum eccleſiaſticarum ſcientiſſimus, Willelmus Lindanus conqueritur. (*e*)

Sed

(*a*) *Idem in veter. monin. P. ij. pag.* 97. *tab. xxvij. n.* 6.
(b) *Buonarrot. Oſſervaz. ſopra alcuni fram. tav. xiv. n.* 2. 4.
(c) *Thuring. Sacr. pag.* 477.
(d) *Tab. iv.*
(e) *Lindan. Panopliæ Evangel. l. iv. c. lxvi. p.* 480.



II.

Sed ea querela hujus loci non eſt. Ad caſulam antiquam redeo, in qua paranda, atque ornanda, quod & de cetera veſte, ſacris miniſteriis deputata, dictum volo, majorum noſtrorum munificentia ſemper emicuit. Mitto nunc aurum, & gemmas, in ſacra ſupellectili abunde impenſa: mitto nihil a magnis principibus, & delicatiſſimis hominibus, uſpiam ad veſtis uſum, adhibitum eſſe, quod idem & templorum, atque altarium ornatui, & ſacrorum miniſtrorum uſui non ſit attributum, qui, quanto ipſi viliore veſtitu, & abjectiore cultu utebantur, tanto ſplendidiore apparatu, quæ ad Deum, ac res divinas pertinebant, curare conſueverunt: idque non inſana quadam rituum Judaicorum æmulatione, ſed inſtinctu pietatis, & veraci ſtudio religionis, quidquid obganniat Hoſpinianus, Valdenſium, & recentiorum hæreticorum, centies jam obtritas calumnias, ſumma confidentia, inſtaurans (*a*). Hæc, inquam, prætermitto, atque unum illud ornamenti genus, olim in ſacris veſtibus uſitatiſſimum, hic commemorare juvat, quod ad meum Diptychum Veronenſe, expreſſum in caſula Claſſenſi, illuſtrandum pertinet, varias nimirum imagines, ac figuras, quæ ſacris veſtibus intexi, vel appingi ſolebant. Non exigui momenti eſt, ad hujus conſuetudinis antiquiquitatem comprobandam, auctoritas patrum II. concilii Nicæni, qui *divinitus inſpiratum ſanctorum patrum magiſterium, & catholicæ Eccleſiæ traditionem ſequentes, proponendas* definiunt *venerabiles, ac ſanctas imagines, tam quæ de coloribus, & teſſellis, quam quæ ex alia materia congruenter in ſanctis Dei Eccleſiis, & ſacris vaſis, & veſtibus, & in parietibus, ac tabulis, domibus, & viis, tam videlicet Domini Dei, & Salvatoris Noſtri Jeſu Chriſti, quam intemeratæ Dominæ Noſtræ, Sanctæ Dei Genitricis, honorabiliumque Angelorum, & omnium Sanctorum, ſimul & almorum virorum* (*b*). Ita decernunt ejus concilii Patres contra Iconomachos, ex quo palam fit, vulgatiſſimum fuiſſe per id tempus, morem illum ſacras veſtes variis imaginibus ornandi, quem alias in profano uſu uſurpatum, Eccleſia ad Dei cultum ſapientiſſime traduxit. Agit de his

(a) *Vid. Cl. Georg de liturg. Ro. Pont. l. ij. c. iij. &c.*
(b) *Labbe tom. viij. p. 1206. edit. Venet.*

de his copioſiſſime Cl. Georgius, integro libri ſecundi de liturgia Ro. Pontificis capite octavo, ubi non hiſtorias ſolum veteris, ac novi teſtamenti, & cruces, & Chriſti Domini, Deiparæ, Sanctorumque, ſed & Epiſcoporum, aliorumque hominum effigies, imo & animalium, ac plantarum varias ſpecies in ſacris veſtibus, atque altarium, eccleſiarumque aulæis exprimi conſueviſſe, pluribus exemplis demonſtrat.

III.

Nemini igitur mirum eſſe debet, tot Sanctorum, & Epiſcoporum imaginibus caſulam Claſſenſem conſpicuam fuiſſe, præſertim cum mos iſte, ornandi variis imaginibus ſacras veſtes, non adeo obliteratus ſit, ut aliqua ejus veſtigia adhuc non perſeverent. Illud quiſpiam fortaſſe mirabitur, perpetuam ſucceſſionem Epiſcoporum alicujus Eccleſiæ, in una veſte, pictam fuiſſe. Neque ego dicere auſim, id ex veteri more uſitato, & paſſim recepto manaſſe. Nam nomina quidem, & memoriam Epiſcoporum cujuſque Eccleſiæ religioſe cultam, ac diligentiſſime ſervatam fuiſſe, non eſt ambigendum. Hinc enim, ne quid dicam de ſacris diptychis, & vetuſtiſſimis catalogis, Epiſcoporum imagines in ſacris templis, ſecundum ſucceſſionis ordinem, palam depingi conſueviſſe, pluribus exemplis, & monumentis cognoſcimus. Sic enim legimus apud Joannem Diaconum in Chronico antiſtitum Neapolitanorum, Joannem IV. qui IX. ſæculo vivebat, ſuorum prædeceſſorum corpora ex antiquis ſepulchris levaſſe, *& in Eccleſia Stephania ſingulis arcuatum tumulum aptaſſe*, addita uniuſcujuſque effigie ſupra tumulum ipſum (*a*). Non me latet, quid de hiſce imiginibus, ad antiſtitum Neapolitanorum tumulos appoſitis, ſentiat Kalendarii marmorei Eccleſiæ Neapolitanæ illuſtrator eximius, acerrimi vir judicii, & reconditarum literarum Alexius Symmachus Mazochius (*b*). Putat enim vir ſummus hic ſe novum quemdam, huc uſque ignotum canonizationis ritum detexiſſe. Sed non negabit, ut ego quidem opinor, etiam aliis de cauſis, & præter quam occaſione canonizationis, Epiſcorum imagines publice in ſacris ædibus proponi conſue-

(a) *Extat in Murator. Rer. Italic. Scriptor. tom.* I. *par.* II. *pag.* 315.
(b) *Mazoch. comment. in Kalend. marmor. eccl. Neapol. pag.* XXXIV.

conſueviſſe. Neque enim ſolum quia ita ferret canonizationis ritus, ſed potius, quia vetus eſſet conſuetudo pingendi Epiſcoporum imagines in Eccleſiis, propterea ad tumulos Epiſcoporum Neapolitanorum, in eorum canonizatione, ſeu corporum elevatione, imagines appoſitas eſſe exiſtimo. Sed multo antiquior eſt Epiſcoporum ſeries a S. Aſprenate, primo Neapolitanorum Antiſte, deducta, quam in Neapolitano cœmeterio S. Gaudentii depictam, obſervavit vir doctiſſimus Franciſcus Blanchinius, ut ipſe narrat in prolegomenis ad Anaſtaſium Bibliothecarium (*a*).

IV.

Celebre eſt aliud exemplum vetuſti ejus moris Epiſcoporum imagines pingendi in baſilicis, earumve porticibus, quod Anaſtaſius Bibliothecarius nobis ſuppeditat. Narrat enim Anaſtaſius decreto PP. ſextæ ſynodi, non ſolum nomina Cyri, Sergii, Pauli, Pyrrhi, & Petri, qui anteſignani Monothelitarum fuere, e diptychis eccleſiaſticis abraſa fuiſſe, ſed eorum quoque imagines, quæ in ſacris templis pictæ erant, undecunque ſublatas. *Abſtulerunt*, inquit, *de diptychis eccleſiarum nomina patriarcharum, vel de picturis Eccleſiæ figuras eorum, aut in foribus, ubi eſſe poterant, auferentes, ideſt Cyri, Sergii, Pauli, Pyrrhi, Petri, per quos error orthodoxæ fidei uſque nunc pullulavit* (*b*). Quem in locum ſcite obſervat Altaſerra, ita actum fuiſſe cum hæreticis Epiſcopis, ut cum tyrannis principibus, quorum nomina in actis, & operibus publicis, & imagines ubicumque poſitæ, infamiæ nota delebantur.

V.

Viguit eadem conſuetudo in eccleſia Ravennati, ut facile ex Agnello intelligi poteſt. Boni enim Epiſcopi vitam, ſeu potius breve elogium ſcripturus, primo ejus effigiem, quod ſæpe & in ceteris facit, accurate deſcribit. Ne quis autem miretur, unde nam reſcire potuerit, qui cujuſque Archiepiſcopi vultus fuerit, qui color, quæve totius oris habitudo, monet hæc ſe ex picturis didiciſſe (*c*): *Et ſi fortaſſe quis ſecum cogitans dicat*,

(a) *Fr. Blanchin. tom ij. Anaſtaſ. Biblioth. pag.* LX.
(b) *Anaſtaſ. Biblioth. in Agathone tom. iij. edit. Rom. p.* 161.
(c) *Agnel. Lib. Pontific. P. ij. in vita Boni pag.* 263.

dicat, aut alios interroget, quomodo iſte, vel unde ſcire poterat horum Sanctorum effigies, quales fuerint, ſi macilenti, ſi pingues, nulla dubitatio inde adcreſcat, quia pictura inſinuat mihi illorum vultus. Sed nullum ejus ſanctiſſimi moris exemplum illuſtrius eſt, quam quod adhuc ſupereſt in auguſtiſſima divi Pauli Baſilica in via Oſtienſi, ubi Romanorum Pontificum ſeries penicillo expreſſa cernitur, jam inde ab Sancti Leonis Magni, vel Symmachi temporibus (*a*), qualis etiam in antiqua Baſilica Vaticana fuit, ut ex Ciampinio accipimus (*b*), imo & in Lateranenſi, ut monet Franciſcus Blanchinius in prolegomenis ad Anaſtaſium (*c*).

VI.

Sed id, opinor, ſatis obvium, & vulgatum eſt, illud non item, epiſcopos alicujus eccleſiæ, perpetua ſerie, in ſacris veſtibus exprimi conſueviſſe. Sed tamen caſulæ noſtræ exemplum ſingulare non eſt. Alterum ſuppeditat Agnellus in vita S. Maximiani epiſcopi Ravennatis, qui circa medium ſextum ſæculum floruit. Narrat enim Maximianum, altari Urſianæ ædis ornando, fieri curaſſe *endothim* byſſinum pretioſiſſimum, in quo opere phrygio Chriſti Domini geſta picta erant; tum alium *endothim* auro textum, in quo omnium, qui ante fuerant, antiſtitum Ravennatum imagines, eodem opere expreſſas, voluit (*d*): *Fecitque aliam endothim ex auro, ubi ſunt omnes prædeceſſores ſui; auro textile imagines fieri juſſit.* Ἐνδύτης græce eſt quæcumque veſtis, atque ex ejus vocabuli, quod noſtrates a græcis acceperunt, vitioſa pronunciatione, facile eſt emerſiſſe *endothim*, Agnello familiarem, quam vocem fœminino in genere uſurpat, cum maſculini ſit, ut obſervat ex Cangio Bacchinius (*e*). Goarus ad Euchologium græcorum eo nomine mappam altaris majorem deſignari putat; ubi hanc vocem obſervat fœminini generis eſſe in Typico Sabæ, quod ad Agnellum excuſandum non parum valet (*f*).

(a) *Franciſcus Blanchin. tom. ij. Anaſtas. biblioth. p. lxxix.*
(b) *Ciampin. de ſacr. ædific. a Conſtant. conſtruc. c. iv. tab. x. xj.*
(c) *Fr. Blanchin. Prolegom. in Anaſtas. tom. ij. p. lxxv.*
(d) *Agnel. Lib. Pontific. p. ij. in vit. S. Maximiani c. vi. p.* 100.
(e) *Ibid. pag.* 81.

let (*a*). Et quamquam ex pluribus veterum ſcriptorum locis, a Cangio allatis, non unam ejus vocis ſignificationem fuiſſe conſtet, frequentius tamen in uſu eccleſiaſtico uſurpata videtur ad aliquod ſeu mappæ, ſeu velamenti genus ſignificandum, quo contegi, & ornari altaria ſolerent, atque id potiſſimum Agnelli teſtimonio confirmat, qui Victorem epiſcopum Ravennatem narrat feciſſe *endothim* ex auro puro, & ſtamine ſerico textum, variis imaginibus diſtinctum, ad ornatum altaris Urſianæ ædis: *Fecitque endothim*, inquit, *ſuper Sanctæ Eccleſiæ altarium Urſianæ, ex auro puro cum ſtaminibus ſericis ponderoſam nimis, mediam habens coccam, & inter quinque imagines, ſuam ibidem cernimus &c.* (*b*). Idem narrat de *byſſino* illo *pretioſiſſimo* S. Maximiani *endothi*, qui ſupra nominatus eſt; eum enim ſcribit in Epiphaniæ feſto ſuper altare ejuſdem Vrſianæ ædis poni conſueviſſe, ad ornandam, opinor, ejus frontem, & fortaſſe etiam latera. Neque mihi dubium eſt, quin endytis, ſive endothis Agnello græciſſanti familiaris, homini ſcilicet Ravennæ ſcribenti, in civitate græcorum imperio diu ſubjecta, illud idem ſit, quod Anaſtaſius Bibliothecarius coopertorium altaris, aut altaris veſtem paſſim nominat, ſive ſuperiori tantum altaris menſæ obtegendæ, ſive altari ipſi circumquaque conveſtiendo pararetur, quare & circitorium devexiori ævo dictam legimus eam veſtem, quæ ſacram aram ex omni parte ambiret, & tegeret (*c*). Certe Anaſtaſius, cum plura altaribus ornandis veſtium pretioſarum donaria, a Romanis Pontificibus, aliiſque oblata commemoret, endytim perpetuo ſilet, rem ſcilicet eamdem non eodem, quo Agnellus, vocabulo exprimens. Multa de endyti Cangius (*d*), & Bacchinius (*e*).

VII.

Ut igitur S. Maximianus Ravennatum antiſtites prædeceſſores ſuos in endyti, quem deſcribit Agnellus, ita & alius quiſ-

(a) *Goar. Eucolog. græc. pag.* 500. *col.* 2. *n. ix. edit. Venet.*
(b) *Agnell. in Victore P. ij. pag.* 75.
(c) *Vid. Cang. V.* Circitorium.
(d) *Cangius V.* Ἐνδύτης.
(e) *Bacchin. Obſervat. ad vitam Victoris P. ij. pag.* 81.

piam vel Veronenſis epiſcopus, vel certe ejus eccleſiæ alumnus, aut alio quovis nomine Veronenſi eccleſiæ devotus, in ea prænobili caſula, quæ poſtea theſauro Claſſenſi acceſſit, Veronenſes epiſcopos, qui fuerunt uſque ad ætatem, qua ipſe vivebat, acu pingendos curavit. Hæc partim certa, partim veriſimilia haberi volo. Nam epiſcopos Veronenſes, ab origine ejus eccleſiæ ad plura deinceps ſæcula, in ea caſula pictos fuiſſe ſecundum ſucceſſionis ordinem, certo certius eſt, quod & ſubinde non perfunctorie demonſtrabitur. Cetera, quæ dixi, ſi non certa, vero ſaltem ſimillima videntur. Nemo autem jure mirabitur, in ſacrario Claſſenſi tam illuſtre monumentum epiſcoporum Veronenſium ſervatum fuiſſe; neque enim ſolius Ravennatis eccleſiæ finibus hominum religio, erga Sanctum Apollinarem, concludebatur, nec minimum erat ſequiori ævo Veronenſium cum Ravennatibus commercium: Græcis enim exarchatum Ravennatem obtinentibus, Ravennæ ſtationem habuere plura militum corpora, ex variis nationibus, & civitatibus primariis delecta ad imperii tutelam, & ad omnem belli inopinati caſum. *Numeri*, ſeu *Bandi* nomine ea militum corpora appellabantur, atque in his erat *Numerus*, ſeu *Bandus* Veronenſium, cujus mentio eſt in antiqua Papyro Eccleſiæ Ravennatis, ſcripta ad annum DCXXXIX. quam vulgavit ſingulare illud Italicæ literaturæ lumen Scipio Maffejus, quem hic primum, ac ſæpe deinceps honoris cauſſa nominabo (*a*). Græcis vero Ravenna, & exarchatu expulſis, diu in ea civitate Numerus, ſeu Bandus Veronenſis perſeveravit; durabat enim adhuc Agnelli Ravennatis ætate (*b*), quem ſæculo IX. floruiſſe conſtat (*c*). Sed de his præſtat Maffejum (*d*), & Bacchinium (*e*) VV. CC. adire.

CAPUT

(a) *Maffei Hiſtoria Diplomatica pag.* 170. *ſeq.*
(b) *Agnell. in Felice c. iij. pag.* 362.
(c) *Bacchin. in Agnel. ibid. pag.* 60.
(d) *Maffei loc. cit. & in hiſt. Veronen. l. xj. p.* 290.
(e) *Bacchin. obſervat. in vit. S. Maximiani pag.* 113.

CAPUT III.

I. Pretioſa tænia caſulæ ſacræ aſſuta, ad modum veteris pallii archiepiſcopalis. Non alia ab aureo clavo, ſive chryſoclavo. II. De veſte chryſoclava variæ eruditorum opiniones. III. Clavorum figura, qui veſtibus inſui ſolebant, ex antiquis picturis, præſertim Ravennatibus. IV. Chryſoclava veſtis eadem, ac auriclavia. V. Caſula S. Jo. Angeloptis. VI. Ejus comparatio cum caſula Claſſenſi. Orbiculi, tabulæ, cruces chryſoclavæ. VII. In re veſtiaria, pro chryſoclavo, auriphrygium, ſive phrygium, poſterior ætas dicere amavit. VIII. Caſula vetus auriphrygio ornata. Cangius notatus. IX. Superhumerale, & Rationale. Pectorale, & Dorſale. X. Auriphrygij forma ex laciniis noſtræ caſulæ. XI. Progreſſu temporis mutata. XII. Tandem iſtiuſmodi ornatus adhiberi deſitus.

I.

POtuit igitur Veronæ, potuit Ravennæ ea caſula contexta eſſe: ſed ubiubi tandem concinnata ſit, & quiſquis ejus conficiendæ auctor, curatorve fuerit, illud indubium eſt martyrum, & epiſcoporum Veronenſium imaginibus maxime exornatam fuiſſe, pia ſcilicet cujuſpiam ſedulitate, qui quaſi typum quemdam eccleſiæ Veronenſis, in eximio illo opere, intuentium oculis exhibere voluit. Non erant autem hæ imagines per totum caſulæ corpus diſperſim locatæ, ſed intra latitudinem aureæ tæniæ continebantur, quæ caſulæ ipſi, veteri more aſſuta, antiqui pallii archiepiſcopalis, quale erat circa X. ſæculum, imaginem referebat. Quam porro auream tæniam hic appello, antiqui ſcriptores aureum clavum, ſive chryſoclavum dixiſſent; mihi enim certum eſt, caſulam Claſſenſem ex earum veſtium numero fuiſſe, quas auriclavias, ſive auroclavas, aut tandem chryſoclavas græcolatina voce, nuncupabant, quarum creberrima mentio cum alibi, tum apud Anaſtaſium Bibliothecarium.

II.

Non ſum equidem neſcius minime inter eruditos convenire, cujuſmodi fuerint veſtes chryſoclavæ, eamque vocem admodum

 ambiguæ,

ambiguæ, & obſcuræ ſignificationis reputari. Nam quod clariſſimus Muratorius, quamquam de ejus vocis ſignificatione, nihil ſe definire velle pronunciet, tamen exiſtimat, chryſoclava fuiſſe *lineas, aut fruſtula ornamenti aurei, ſive telæ ex auro textæ, quæ ſuper alteram telam jam confectam inſuebantur, exiguis veluti clavis, ſed acu adfixa (a)*; id quale ſit haud plane intelligo, neque ipſum puto melius intellexiſſe. Qui vero nullum diſcrimen agnoſcunt inter veſtes auriclavias, & chryſoclavas, & utraſque putant, eas eſſe, quæ aureis clavis diſtinctæ ſint, ne illi quidem inter ſe conſentire poſſunt, eo quod non unam omnes ejuſmodi clavorum, qui veſtibus inſui ſolebant, figuram ſibi animo fingant (*b*). At Rubenius, vir ceteroqui antiquæ rei veſtiariæ ſcientiſſimus, ita a ceteris in ea re diſſentit, ut ne ſibi quidem ipſe conſentire videatur. Diſputavit is egregie de lato, & anguſto clavo antiquorum, & qua forma eſſent ejuſmodi clavi, quibus honeſtiores veſtes inſigniri mos erat, oſtendit. Docuit enim fuiſſe purpureas lacinias, ex humeris ad infimas veſtium oras, delabentes, minime vero ſegmenta quædam purpurea quadrata, rotunda, cuſpidata, aut ſiqua alia forma fingebantur, ut erat communior eruditorum opinio (*c*). Quemadmodum ergo veſtes purpura clavatæ, Rubenio ſunt eæ, quæ aſſutas habent inſtitas purpureas, ita & auriclaviæ non aliæ eſſe debent, quam quæ aureis ejuſmodi inſtitis ſplendeſcunt, &, ut ipſe loqui amat, interſecantur. At enimvero, ſi vim verborum attendas, quæ veſtes græcolatina voce dicuntur chryſoclavæ, eædem ſunt, atque auriclaviæ. Quid erat ergo expectandum a Rubenio, niſi, ut veſtes chryſoclavas diceret aureis clavis, ſive in-

(a) *Murator. antiq. med. ævi diſſert. xxv. tom. ii. col.* 401.

(b) *Vid. Gretſer. in Codin. lib. ii. c. iv. Goar. in eumd. c. iii. Ferrar. de re veſtiar. l. iii. c. xij. Acta Ss. in vit. S. Eudociæ Tom. i. Martii pag.* 886. *ubi ad ea verba*, Βῆλα σηρικὰ ἀυρόκλαβα; Vela, *inquiunt*, auroclavata putantur pallia prominentibus cuſpidibus, ex auro textis, circumdata, adeo ut ejuſmodi limbi, tunc clavi dicti fuerint, quomodo nunc variis linguis vocantur puncta, ideſt cuſpides, atque denticuli.

(c) *Ruben. de re veſtiar. l. i. c. ii.*

ve inſtitis, inſignes? At non dixit tamen; maluit enim chryſoclavum eſſe *quoddam picturæ genus*, *quam clavum aureum antiquorum (a)*. Subinde vero quaſi eorum, quæ dixerat, immemor, chryſoclavum docuit fuiſſe quiddam ex purpura, & auro textum (*b*). Ex quo apparet, nec ſatis Rubenio perceptas fuiſſe veſtes chryſoclavas, nec ſatis, virum alias ſolertiſſimum, in ea voce interpretanda ſibi conſtitiſſe.

III.

Quid erant ergo, inquies, veſtes chryſoclavæ? Id, meo quidem judicio, quod vox ipſa ſonat, quodque negavit Rubenius. Veſtes erant aureis clavis, hoc eſt aureis tæniis ornatæ, ea forma, quam clavorum eſſe Rubenius ipſe docuerat, quamque, etiam ſilente Rubenio, oſtendunt innumeræ propemodum antiquæ picturæ, quæ Romæ, & alibi in muſivis ſacrarum ædium, omnium oculis patent, ne quid dicam de illis, quæ in Romanis cœmeteriis ſunt detectæ, quaſque antiqua vitra, e ſacris item cœmeteriis eruta, exhibent. De his poſtremis conſulendi Aringhius (*c*), & Bonarrotius (*d*). Adde & Cl. Paciaudum, qui, ex Muſeo Oliverio, ſimile vitrum edidit, in quo puerulus gerulæ, ſeu nutrici adſtans, pictus eſt, tunicula indutus ejuſmodi clavis ornata, quos ipſe ſtolam appellat (*e*). Quoad muſiva vero optandum eſſet, ut Ciampinius in iis edendis clavos purpureos, vel aureos, quibus plures Sanctorum, & Angelorum, præſertim vero Chriſti Domini imagines ornatæ ſunt, deſcribere non omiſiſſet. Sunt quidem in ectypis Ciampinianis non raro expreſſæ ejuſmodi inſtitæ prælongæ, veſtibus Sanctorum aſſutæ; ſed præterquamquod in multis omnino prætermiſſæ ſunt, in iis certe purpureos, aut aureos clavos minime ſe agnoviſſe oſtendit, vir alias oculatiſſimus, cum de illis perpetuo ſileat. Sed res ipſa

(*a*) *Idem l. i. c. xxiij.*
(b) *Ibid.*
(c) *Aringh. Roma Sotterran.*
(d) *Buonarroti Oſſervaz. ſopra alcuni frammenti &c.*
(e) *Paciaudi Diſſertaz. intorno a una antica Iſcriz. inter Opuſcula Calogeriana Tom. xlij. pag. 301.*

ipſa per ſe loquitur; nihil enim magis obvium occurrit in noſtris muſivis Ravennatibus, ut de ceteris ſileam, quam ejuſmodi oblongi clavi purpurei, vel aurei, ex humeris ad extremas veſtium oras deducti. Sic in muſivo baſilicæ Claſſenſis, quod circa annum DLXVII. pictum dicitur, Moyſes, & Elias candidis tunicis, ad eum modum purpura clavatis, induti cernuntur; ſic in muſivo Sancti Martini in cælo aureo, ſeu, ut nunc appellant, Sancti Apollinaris novi, quæ pictura ad annum DLXX. pertinere dicitur, nemo unus eſt ex tam multis ſanctis hominibus, qui longo ordine picti ſunt in dextero latere ejus eccleſiæ (*a*), cujus alba tunica ſub pallio, aut clamyde, ſatis conſpicua, gemino clavo purpureo ad eum modum, quem ſupra deſcripſimus, diſtincta non ſit. At S. Martinus, qui reliquorum agmen ducit, & propius adſtat Chriſti Domini throno, quippe cui ea eccleſia dicata eſt, purpurea in veſte emicat, quam aurei clavi, a ſummis humeris ad infimum limbum fluentes, exornant: quemadmodum & tunicæ ipſius Chriſti ſervatoris, & quatuor Angelorum, qui ejus thronum circumſtant, & quatuor item, qui Deiparæ virginis throno, in averſa templi parte, adſtant, & pueruli Jeſu, qui divæ matris genibus aſſidet, aureis ejuſmodi clavis ſplendeſcunt. Rurſum ad Divi Vitalis, in media abſide ejus celeberrimi templi, quod muſivo ornatum dicitur ad annum DXLVII., Chriſtus Dominus, & circa illum angeli quatuor; itemque in abſide eccleſiæ S. Michaælis, quæ ad annum DXLV. conſtructa dicitur (*b*), idem Dei filius, duoque Archangeli Michael, & Gabriel tunicas, ad eum modum auro clavatas, gerunt. Quod ſi purpureæ, & aureæ inſtitæ, quas in antiquis picturis videmus, non ſunt ſplendidi illi clavi, quibus veſtes olim inſigniri ſolebant, quidnam tandem eſſe dixeris?

I V.

Conclamata eſt igitur eorum opinio, qui non aliam veſtium clavaturam agnoſcebant, quam quæ in purpureis, aureiſve ſeg-

---

(a) *Dexterum latus ingredientibus intellige.*

(b) *De harum picturarum Ravennatium atiquitate vid. Ciampin. veter. monim. P. ii. c. viij. ix. xj. xij.*

ve ſegmentis quadratis, rotundis, cuſpidatiſve conſiſteret. Sed hæc nihil ad Rubenium, inquies, qui ab ea opinione diſtat, quam qui maxime; neque enim non rectiſſime judicat Rubenius de forma clavorum, ſed eas fuiſſe negat veſtes chryſoclavas, quæ clavis aureis fulgerent. Verum contra Rubenium facit ipſa vox græcolatina chryſoclavus; quæ enim auriclaviæ, ſive auro clavatæ veſtes dicendæ fuiſſent, eas ſequiori ævo chryſoclavas dicere amarunt. Exemplum proferre juvat ex charta Tiburtina, ſeu Cornutiana, ad annum CDLXXI. ſcripta. Inter veſtes enim Eccleſiæ Cornutianæ *pallium holoſericum agnaphum auroclavum* reperio, & *vela auroclava* (a). At fruſtra apud Anaſtaſium Bibliothecarium veſtem auroclavam, ſive auriclaviam, vel auro clavatam quæſieris. Numquam, ſi recte teneo, ea vox apud hunc auctorem occurrit, qui ceteroqui innumera chryſoclavæ veſtis donaria commemorat, & Romanis, & aliarum gentium templis oblata. In uno quippe Leone III. non minus quam CXXVI. chryſoclavas, aut chryſoclavo ornatas veſtes, pallia, aulæa recenſet, quæ munificentiſſimus Pontifex fieri curavit. Alterutrum ergo concedendum eſt, vel nullam in tanta veſtiariæ ſupellectilis opulentia, quam recenſet Anaſtaſius, veſtem auriclavam fuiſſe, quod omnem fidem ſuperat, vel chryſoclavam veſtem, Anaſtaſio, aliiſque ſcriptoribus celebratam, non aliam fuiſſe, quam quæ aureis clavis niteſceret, hoc eſt auriclaviam.

V.

Eſt inter ſacra cymelia Eccleſiæ Metropolitanæ hujus civitatis, pervetus caſula ſacerdotalis ſerica, colore violaceo, polymito opere admodum eleganti, contexta, eaque figura, qua fuiſſe diximus id genus veſtes, ſcilicet undequaque clauſam, atque in ſummo tantum apertam, qua caput exeri poſſet, quam S. Joannis Angeloptis fuiſſe perhibent, quemadmodum teſtatur membranacea ſchedula eidem aſſuta, antiquis literis in hunc modum ſcripta: PLANETA SCI JOHIS QUI VIDIT ANGELUM ARCHIEPI RAV. ET CONF. Tenuit Sanctus hic Præſul Cathedram Ravennatem V. Chriſti ſæculo. Eſt autem tota ea caſula,

(a) *Apud Mabillon. de re diplomatica lib. vj. pag. 462.*

ſula, quanta eſt, lunulis, & aquilis aureis acu pictis, rectoque ordine alterne diſtributis, ornata, & aureum quoque limbum habet ad infimam oram, in quo binæ & binæ oviculæ, per intervalla adumbratæ potius, quam expreſſæ ſunt. At collum, ſive os caſulæ, aurea item tænia paulo latiore cingitur, quæ per dorſum, & pectus medium ad infimam uſque oram porrigebatur, ad eum modum, quem videre licet in caſulis Sanctorum Venantii, Domnii, ſive Domnionis, & Aſterii, in muſivo ædiculæ Sancti Venantii in patriarchio Lateranenſi (*a*). Sed nunc ea tænia, quæ caſulam antrorſum ornabat, partim periit, partim loco mota eſt, & in crucis formam compoſita, ut in caſulis haud antiquiſſimis aſſolet, quemadmodum ex novis ſuturis liquet. At in poſtica parte caſulæ, quæ ad dorſum pertinet, aurea tænia, adhuc integra ad pedes uſque defluit. Sunt autem hæc omnia, quæ aurea dixi, non argenteis inauratis, ut nunc fit, ſed aureis bracteolis, ſerico filo circumductis, contexta; vetuſtior enim ætas, cum aurum mentiri in textura, & pictura veſtium ignoraret, auro puriſſimo in fila diducto utebatur (*b*), ex quo ingens ſane pretium ſplendidis ejuſmodi veſtibus accedebat. Eſt igitur caſula S. Joannis Angeloptis ex iis, quas auriclavias dixiſſent, voce ſcilicet Anaſtaſio Bibliothecario inuſitata, ut ante dictum eſt: quæ, quia non ſolum aureis clavis ſecundum longitudinem diſtincta eſt, ſed limbum aureum in ora extrema aſſutum habet, ſi eam Anaſtaſiana phraſi deſcribere velis, non video quemadmodum dicere poſſis, niſi caſulam ſericam chryſoclavam, cum periclyſi de chryſoclavo. In hunc quippe modum ſacras veſtes, aureis clavis, & aureo limbo inſignes, paſſim deſcribit Anaſtaſius.

V I.

Sed juvat nunc caſulam S Joannis Angeloptis cum noſtra Claſſenſi comparare, cujus conformationem unuſquiſque cogitando facile aſſequi poterit. Utraque in antica, & poſtica parte aureo

(a) *Apud Ciampin. vet. monim. P. ij c. xv. tab. xxx. xxxj.*

(b) *Vid. Salmaſ. in Vopiſc. in vita Aureliani, & Braun. de veſte ſacerdot. hebr. l. j. c. x. §. iv. ſeq.*

aureo clavo ornata erat, ſed illa admodum anguſto, & puro, hæc multo latiore, & variis orbiculis phrygionis opera pictis, inſignito, quemadmodum ex ejus laciniis cognoſci poteſt, quæ æri inciſæ editæ ſunt, tabula prima, ubi ſegmentum, numero quarto notatum, ipſius aurei clavi, ſive chryſoclavi latitudinem exhibet; eſt enim expreſſum ad archetypi menſuram. Utrumque hoc genus veſtis chryſoclavæ videre licet apud Anaſtaſium, puris ſcilicet, & pictura variatis, clavis aureis ornatæ; ſæpe enim veſtes chryſoclavas memorat, diverſis pictas hiſtoriis, ſed ſæpius etiam ſic chryſoclavum nominat, ut de pictura ſileat, quod non temere factum exiſtimo. Plures etiam habet veſtes, imo & cruces chryſoclavas, orbiculis diſtinctas (*a*); adde & tabulas (*b*), & roſas (*c*), & tygres (*d*) & rotas (*e*), & ſtellas (*f*) chryſoclavas ſacris veſtibus aſſutas, vel appictas. Et veſtes quidem chryſoclavis orbiculis pictæ, cujuſmodi eſſent, qui caſulam Claſſenſem ſibi animo fingat, non difficile intelliget, quod & de crucibus chryſoclavis, ſive puris, ſive orbiculatis non dubito. Quis enim ex aureis inſtitis, ſive puræ ſint, ſive variis orbiculis diſtinctæ, qualis erat caſulæ Claſſenſi aſſuta, cruces confici poſſe non videat? Crucem argenteam orbiculatam infra deſcriptam habebis. Tabulas vero chryſoclavas, rotas, ſtellas, & ſi quid præterea ſacris veſtibus, & aulæis ex chryſoclavo adjectum legimus, ſic intelligo, ut *periclyſim de chryſoclavo* apud Anaſtaſium ipſum. Ut enim veſtis, in cujus extrema ora aureus limbus aſſutus eſſet, *periclyſim de crhyſoclavo* habere dicebatur, quia eodem opere, atque artificio ex aureis filis concinnatus, aut pictus erat ille limbus, quo eſſe ſolebant aurei clavi, ſive chryſoclavi, honoratiorum

D hominum

(a) Veſtem in orbiculis, *lege* cum orbiculis chryſoclavis. *Anaſtaſ. Biblioth. ſect.* 37. Veſtem habentem crucem cum orbiculis de chryſoclavo. *Sect.* 417. Cruces de chryſoclavo cum orbiculis. *Sect.* 390. *&c.*
(b) *Sect.* 414 418. 443. *&c.*
(c) *Sect.* 419. *&c.*
(d) *Sect.* 414 *&c.*
(e) *Sect.* 364. *&c.*
(f) *Sect.* 418. *&c.*

hominum veſtibus inſui ſoliti: ſic tabulæ aureæ, rotæ, & cetera de genere hoc, non cum ipſis veſtibus, veſtem enim auro textam a chryſoclava non uno loco diſtinguit Anaſtaſius (*a*), ſed iis appicta, chryſoclava, vel de chryſoclavo facta dicuntur. Quare hoc ſenſu repudianda undequaque non eſſet Rubenii ſententia, ſi chryſoclavum dictum putaſſet, quidquid aureis filis concinnatum, vel phrygionis opera pictum, veſtibus attexi mos fuit.

VII.

Sed jamdiu veſtis chryſoclavæ nomen, apud ſcriptores noſtros obſolevit. Apud græcos diutius perſeveravit, ut vel unus oſtendit Codinus, ſæculi XIV. ſcriptor, qui ea voce ſæpiſſime utitur (*b*). Noſtri, ſaltem in uſu ſacro, auriphrygium, ſive phrygium, aut magis barbare friſium, pro chryſoclavo uſurparunt, quibus fere vocibus aliud nihil voluerunt, quam acupictilem ornatum auro multo inſignem, præſertim vero auream tæniam latiorem, qua ſolemne fuit pretioſiores veſtes ornari, ab altarium miniſtris adhiberi ſolitas: illud idem nempe, quod antiquior ætas aurei clavi, ſive chryſoclavi nomine deſignabat. Sic Agnes Auguſta, apud Leonem Oſtienſem, legitur obtuliſſe in Eccleſia Montis Caſini, *pannum diarodanum friſatum cum auro* (*c*). Sic in theſauro Eccleſiæ Canuſinæ, anno MXC. ſervabatur *planeta de purpura ſanguinea, & pulcro aurifriſio*, pulcro ſcilicet auriphrygio conſpicua (*d*). Tales erant in theſauro Eccleſiæ Moguntinæ *caſulæ duæ nigræ auriphrigiatæ*, & ejuſdem operis *dalmaticæ duæ, & duo ſubtilia latis auriphygiis ornata* (*e*), *& caſula violacea latis, & magnis auriphrygiis longa, & larga aureis lunulis, & ſideribus inſertis*. Talis denique cappa, quam Baldricus Abbas Burgulienſis, circa annum MXCVII. ſibi donari optabat ab Adela Comitiſſa:

Cappam,

(a) *Vid. ſect.* 93. 132. 219. 322. 444. *&c.*
(b) *Georg. Codin. de offic. CPolit. c. iij. n.* 3. *&c.*
(c) *Leo Oſt Chron. Caſin. l. iij. c. xxxij.*
(d) *Ex relat. Theſauri Eccleſ. Canuſin. inter ſcript. rer. Brunſvic. tom. j. p.* 689.
(e) *Chronic. Moguntin. inter rer. German. ſcript. Urſtiſii tom. ij. p.* 567.

Cappam, quæ Phrygium rutilans circumferat aurum,
Cappam, quæ gemmis amictum pectus honeſtet (a).

VIII.

Eſt locus inſignis in hiſtoria epiſcoporum Antiſiodorenſium, ubi pretioſa quædam caſula ſacerdotalis in hunc modum deſcribitur: *Caſula autem coloris ætherei, phrygio palmum habente, ſuperhumeralis & rationalis effigiem, ad modum pallii Archiepiſcopalis honorabiliter prætendebat (b).* Hæc nimirum caſula, ſi quid intelligo, auriphrygium palmaris latitudinis dabebat. Quod autem dicitur, prætendiſſe effigiem ſuperhumeralis, & rationalis, ad modum pallii Archiepiſcopalis, hoc ad ipſius auriphrygii figuram pertinebat. Affert hunc locum Carolus du Cange, atque hinc univerſim concludit, tali forma fuiſſe veteres caſulas, qualis hic deſcripta eſt, aitque plures hodiedum haberi, in ſecretariis majorum Eccleſiarum, veteres caſulas, in quibus circa collum limbus alterius coloris, ante & retro pendulus, affixus conſpicitur (*c*). Sed vereor, ne magnus iſte antiquæ eruditionis promus condus, non ſatis intellexerit, cujuſmodi figuræ fuerit auriphrygium, quo nobilis illa caſula ornata erat. Si enim ſuperhumeralis, & rationalis effigiem, ad modum pallii Archiepiſcopalis, referebat, non limbus erat circa collum caſulæ affixus, ſed latiore ambitu, per humeros in pectus, & dorſum defluebat, vel fortaſſe humeros ipſos complectebatur. Conſtat enim inter eruditos circa ſæculum Chriſti X. & XI ut nihil de antiquiore pallii forma dicam, quæ & multiplex, & varia fuit, pallium pontificale ante, & retro bifurcatum fuiſſe, inſtar duarum Y, quæ pectori, & dorſo applicitæ in humeris ipſis concurrentes, in unum coirent. (*d*) Subinde vero adhiberi pallium cepit, quod non jam ad ſummos humeros aſcenderet, ſed quod latiore complexu in brachia tantiſper deſcenderet, ad modum circuli in plano poſiti conformatus, ut ſcite loqui amat doctiſſimus Papebrochius, qui pervetuſtam S. Deſibodi imaginem, aliaſque pontifi-

(a) *Ex Ducheſnio ap. Georg. de liturg. Rom. Pont. l. j. c.* 31. *pag.* 282.
(b) *Apud Cangium V.* Rationale.
(c) *Ibid.*
(d) *Vid. Papebroch. de Pall. Pontific. in Propil. ad menſ. maji.*

pontificum figuras producit ſimili pallio ornatas. Hoc autem modo conformatum fuiſſe exiſtimo auriphrygium ejus caſulæ, quæ in hiſtoria epiſcoporum Antiſiodorenſium, apud Cangium, deſcripta eſt.

IX.

Sed cur, inquies, ſpecioſus ille ornatus caſulæ Antiſiodorenſis, ſuperhumeralis, & rationalis effigiem prætendiſſe dicitur? Ea ipſa ſcilicet ex cauſa, qua ad modum pallii archiepiſcopalis formatus dicebatur. Cum enim perſuaſum eſſet iis, qui ſacrarum veſtium myſticas ſignificationes inveſtigabant, in pallio archiepiſcopali ſpeciem quamdam apparere ſuperhumeralis, & rationalis Aaronici (*a*), ut præ ceteris obſervat S. Bruno Signinus epiſcopus (*b*), ex quo etiam factum eſt, ut pallium ipſum tum rationalis, tum ſuperhumeralis nomine quandoque dictum ſit; non immerito quiſpiam dicere potuit, pretioſum illum ornatum nobiliorum caſularum, phrygionis opera pictum, ſuperhumeralis, & rationalis effigiem præferre. Neque id ſolum, ſed etiam ea ipſa nomina ſuperhumeralis, & rationalis obtinuit ſplendidus ille caſularum ſacerdotalium ornatus. Imo ſi hanc rem diligentius perpendere velimus, duo quædam ornamenta fuiſſe comperiemus ſuperhumerale, & rationale, caſulis ſacerdotalibus adjungi ſolita. Liquet id, ni fallor, ex Ratholdi Miſſa, apud Martene, in qua Sacerdoti ſacra facturo, poſt caſulam, imponitur *rationale cohærens junctim ſuperhumerali*. Sic enim ibi legitur: *Poſtea miniſtretur ei caſula: tandem vero rationale cohærens junctim ſuperhumerali* (*c*). Huc pertinet, quod legimus in indiculo ſacrarum veſtium, quæ olim ſervabantur Londini in theſauro inſignis Eccleſiæ divi Pauli: *Item caſula de rubeo ſameto, quæ fuit Fulconis epiſcopi, cui apponitur antiquum dorſale colœrigatum interlaqueatum, de fino auro, cui inſeruntur quatuor berilli &c. Item caſula Wlfrani de indico ſameto bona, & pretioſa, cum pectorali, & imaginibus Petri, & Pauli de fino auro, & humerali vineato de fino auro breudato, & lapidibus inſertis*, & extremitate

(a) *Levitic. c. iij. v. 7. 8. &c.*
(b) *De ſacr. eccl. myſter. apud Georg. loc. cit.*
(c) *Martene l. j. c. iv. pag.* 542.

tremitate talari conſimili. Item caſula Hugonis de Orivalle de albo diaſpro, cum pectorali, & dorſali largo, de floſculis de fino auro, cum lapidibus grandibus (*a*). Quod hic audis de *dorſali*, & *pectorali*, de ſuperhumerali, & rationali intellige: ut enim pallium archiepiſcopale, quatenus ornabat pectus pontificis, rationale dixerunt, quatenus vero complectebatur humeros, ſuperhumerale appellarunt, ob quamdam ſcilicet imitationem Aaronici ſuperhumeralis, & rationalis; ita & duplicem ornatum, quo nobiliores caſulas quandoque inſigniri mos fuit, non ſolum ſuperhumerale, ſeu humerale, & rationale, ſed *dorſale* etiam, & *pectorale* dixerunt, barbaris quidem nominibus, ſed minime ineptis, & ad id, quod volebant, explicandum accommodatiſſimis.

X.

Verum duo hæc caſularum ornamenta ſuperhumerale nimirum, & rationale, ſive *dorſale*, & *pectorale*, haud ingentem præſeferunt antiquitatem, & ſæculum forte XII. vel XIII. non excedunt. Antiquiora ſæcula ignoraſſe videntur rationale a ſuperhumerali, hoc eſt *pectorale* a *dorſali* diverſum. Non aliunde id melius intelligi poſſe exiſtimo, quam ex laciniis noſtræ caſulæ Claſſenſis. In iis videre licet Petronii, Lucilli, Silvini, & imprimis S. Ruſtici caſulas, aureo clavo, aureus enim eſt in ipſis prototypis, ornatas, & quidem ea plane forma, qua fuiſſe diximus pallium archiepiſcopale, circa ſæculum Chriſti X. & XI. (*b*). Idem ornatus eſt in caſulis epiſcoporum XXIV. Beneventanæ Metropoli ſubjectorum, quorum imagines multis ab hinc ſæculis expreſſæ ſunt in valvis æneis eccleſiæ Beneventanæ. In tanto enim numero epiſcoporum nullus eſt, cujus caſula hoc ornatu, ad formam antiqui pallii archiepiſcopalis, deſtituta ſit (*c*).

XI.

Hæc igitur fuiſſe videtur forma antiquior ſplendidi ejus ornamenti, mutata autem pallii archiepiſcopalis ex veteri illa bifida, &

(a) *Monaſtic. Anglic. tom. iij. pag.* 320.
(b) *Vid. Tab.* I.
(c) *Apud Ciampin. part. ij. c. v. pag.* 26. *tab. ix.*

ſida, & biſurcata, qualem ſupra deſcripſimus in rotundam, ad modum circuli in plano poſiti, ut ait Papebrochius, etiam clavus ille aureus, ſive auriphrygium, aut ſuperhumerale caſularum ſacerdotalium, eamdem figuræ mutationem ſubjiſſe videtur (*a*). Deinceps autem non jam latiore ambitu, more pallii archiepiſcopalis, caſulas ſacras ornare, ſed tantum ſecundum caſularum longitudinem ante, & retro aſſutus, ſtrictim circa collum, & os ipſum caſularum circumduci cepit; atque ita vix ullam cum pallio archiepiſcopali ſimilitudinem retinuit. Ex eo genere ſunt caſulæ, quas ſupra deſcripſit Cangius, quarum plures ſervari ait in ſecretariis majorum eccleſiarum, quæque limbum alterius coloris, circa collum affixum, ante, & retro pendulum habent. Sed ejuſmodi caſulæ, quoad ornatum iſtum, plurimum diſtant ab illis, quæ auriphrygio ornatæ erant ad modum pallii archiepiſcopalis, qualis erat noſtra Claſſenſis. Et ſane non ſtrictim circa collum, & os caſulæ duci, ſed latiore ambitu a pectore in humeros, atque inde in dorſum demitti oportuit acupictile intextum, ſive auriphrygium caſulæ noſtræ, ut ibi ſexdecim epiſcoporum protomas, in ſuis quaſque orbiculis hinc & inde capere poſſet, ut ſchema primum tabulæ ſecundæ intuenti palam erit. Hanc porro mutationem in auriphrygii forma, oſtendunt denarii plures noſtrarum civitatum, in quibus ſancti epiſcopi, earum patroni, caſulis, ut plurimum, induti exhibentur, quæ auriphrigio ornatæ ſunt, non late humeros, ad modum pallii archiepiſcopalis complectente, ſed circa ſummum os caſulæ ducto. Satis obvii ſunt ejuſmodi nummi, quorum plures edidit Muratorius in antiquitatibus medii ævi (*b*), ac plures etiam nuperrime Argelatus, aliique, quorum lucubrationes in ſylloge ſcriptorum de re monetaria Italiæ continentur. Sed juvat tamen aliquod eorum ſpecimen hic afferre, in integerrimo Ariminenſium denario argenteo, in muſeolo noſtro Claſſenſi aſſervato, quem

ære

(a) Superhumerale *eſt ſtola larga fimbriata, circuiens humeros deſuper, cum duobus manipulis, dimiſſis ante, & retro circa ſcapulas ex utraque parte in modum ſcuti rotundi*. Ex ceremonial. eccl. Tullen. apud P. Benoit hiſtor. Tullen. pag. 168.

(b) *Murator. antiquit. med. ævi diſſert. xxvij.*

ære inciſum damus (*a*). Eſt in eo S. Gaudentii epiſcopi Ariminenſium patroni imago, cum caſula auriphrygio ornata, quam ſi quis cum ea contulerit, quam exhibent laciniæ noſtræ (*b*), quantum inter utramque diſcrimen ſit, in ipſius auriphrygii forma, & amplitudine, nullo negotio intelliget. Quod enim S. Gaudentii caſulæ additum cernitur auriphrygium, ſpiſſis cruciculis ornatum, non medio in pectore ſcinditur, ut in humeros bicipiti ductu aſſurgat, more antiquioris pallii archiepiſcopalis, vel humeros ipſos latius complectatur, ad modum pallii archiepiſcopalis minus antiqui, ſed ſtrictim collo circumducitur, nec amplius patet, quam ipſum os caſulæ, qua caput inſeritur. Libentius autem hunc nummum Ariminenſium profero, quod in eo S. Gaudentii caput, mitra epiſcopali ornatum, nitidiſſime apparet, cum in Muratorii ectypo, nihil minus, quam mitram geſtare videatur ſanctus iſte Ariminenſium patronus. Qui porro caſulæ ornatus eſt in hoc Ariminenſium nummo, idem eſt in pluribus Anconitanorum, Bononienſium, Camertium, Peruſinorum, Spoletanorum, Veronenſium, Tergeſtinorum, aliarumque civitatum apud Muratorium, & alios Italicorum nummorum editores. At, dum Muratorius ipſe, ſimilem nummum Spoletanorum deſcribens, in quo eſt Joannes quidam Spoletanus epiſcopus expreſſus, eum dicit archiepiſcopali pallio ornatum, non ſatis ſcio an audiendus ſit, vereor enim, ne vetuſtum hunc caſularum ornatum pro pallio acceperit, quo in luto hæſitaſſe alios non ignoro,

XII.

Sed hic idem ſacrarum caſularum ornatus ſucceſſu temporis rurſum immutatus eſt, ac tandem ita obſolevit, ut vix leviſſimum aliquod ejus veſtigium appareat in ea cruce, quæ exiguarum linearum, ſive tæniolarum ductu, in noſtris caſulis, ante, & retro effingi ſolet. Diutiſſime tamen perſeveravit vetus ille uſus pingendi ſacras imagines, in caſularum ſacrarum auriphrygio, quod etiam propter eam cauſam, devexiori ævo, non alio nomine quandoque dictum eſt, quam *Friſii imaginum*. Ita enim in tabulis

(a) *Tab. II. fig.* 2.
(b) *Vid. Tab. I.*

bulis teſtamentariis Philippi Cabaſſollæ Cardinalis *caſulam* legimus *lividam*, *crocei coloris*, *cum Friſio imaginum* (*a*). Vivebat Cardinalis Cabaſſolla ſæculo Chriſti XIV. Poſſem autem hic pluribus oſtendere, ſi id mihi propoſitum eſſet, quomodo tanta hæc mutatio in caſularum ornatu, & caſulis paulatim ipſis acciderit; ſed facile eſt id ipſum cognoſcere, ex picturis & ſanctorum epiſcoporum imaginibus ſuperiorum temporum, ac præſertim ſæculi XIV. XV. & XVI. inter ſe collatis, quæ paſſim occurrunt, quæque etiam oſtendunt, quibus veluti gradibus veteres caſulæ ampliſſimæ decreſcentes, ad hanc noſtrorum temporum exiguitatem pervenerint.

CAPUT IV.

I. Quænam ſacrarum imaginum diſtributio in caſula diptycha Claſſenſi. II. Imagines in caſulæ dorſo tranſverſim locatæ. III. Singulæ in ſingulis orbiculis pictæ. IV. Crux argentea eccleſiæ Ravennatis ejuſmodi orbiculis ornata.

I.

COgnita veteri forma, & magnitudine aurei clavi, ſive auriphrygii, quo caſulæ ſacræ ornari ſolebant, facillime intelligi poterit, quomodo in aurea illa tænia, caſulæ Claſſenſi aſſuta, tot Sanctorum imagines locum habere potuerint. In ea igitur, opere phrygio, pictæ erant, in totidem orbiculis, ſingulæ imagines, quæ eam caſulam ornabant, epiſcoporum ſcilicet Veronenſium quinque & triginta; tum Ss. Firmi, & Ruſtici martyrum ejus eccleſiæ illuſtriorum; dein Ss. Archangelorum Michaelis, & Gabrielis. Sed primum tamen, & nobiliorem locum in medio caſulæ dorſo, manus expanſa, præſentis numinis majeſtatem, ac potentiam indicans, in ſuo orbiculo expreſſa obtinebat. Pone ſequebantur hinc & inde archangeli duo, tum duo martyres, quos dixi, denique duplici ordine epiſcopi Veronenſes,

(a) *In vit. Cardinal. Gallor. apud Fr. Ducheſnium &c.*

nenſes, initio ab iis facto, qi primi eam eccleſiam condiderunt, & ſuis meritis ampliſſimis illuſtrarunt. In quo ſane plurimum laudanda eſt ejus viri prudentia, qui id operis perficiendum curavit; in eo enim voluiſſe videtur, quaſi quamdam imaginem eccleſiæ Veronenſis intuentium oculis exhibere. Primo enim Deum O. M. totius ſanctitatis fontem, & originem ſolemni illo manus ſymbolo expreſſit, tum circa illum angelos, *qui cum primis a Deo ſplendoribus illuſtrentur, primi illius ſplendoris miniſtratores ſunt*, ut iniquit Nicephorus CPolitanus (*a*). Sequuntur eccleſiæ Voronenſis martyres, tandem epiſcopi, longo ordine hinc & inde diſpoſiti, ut inde appareret, quo ex fonte ejus cceleſiæ ſanctitas manaret, quove ſucceſſu propagata eſſet.

II.

Eſt tamen aliquid, in quo ejus operis artificium reprehendas. Quæ enim imagines in caſulæ dorſo diſtributæ cernebantur, non erectæ, uti oportebat, ſed tranſverſim locatæ erant, quod intuentium oculis haud ſane jucundum eſſe poterat. Id porro conſtat, tum ex Rubei deſcriptione, tum ex lacinia, quæ ſupereſt. Si enim fingas laciniam illam, quæ ſuperiorem partem primæ tabulæ occupat (*b*), dorſo caſulæ aptari ſecundum longitudinem, hæc enim erat earum poſitura in caſula ipſa, imagines, quæ in ea lacinia ſunt, non erectas, ut in tabula prima expreſſæ ſunt, ſed tranſverſim poſitas fuiſſe intelliges, quod figura prima tabulæ ſecundæ demonſtrat. Neque melius collocatæ erant imagines, quæ ex humeris in dorſum hinc & inde deſcendebant, ut in eadem figura videre licet. *Germanus* enim, *Felix*, *Silvinus*, & *Theodorus*, qui ex dextero humero, *Saturninus*, *Lucillus*, *Gricinus*, & *Zeno*, qui ex ſiniſtro demittebantur, inverſo capite apparere debebant. Hujus rei cauſam ſatis probabilem nullam invenio, neque enim artificem culpandum puto, cujus tantam fuiſſe oſcitantiam, credibile non eſt, ut ita turpiter erraverit. Sed fortaſſe nobile iſtud intextum, quod caſulæ Claſſenſi ornandæ adhibitum eſt, in alium uſum confectum fuerat, puta ad alta-

 ris vela-

(a) *Niceph. CPolit. lib. contra Iconomach. c. 70.*
(b) *Tab. I. n. I.*

ris velamen, aut ἐνδύτην; hæc enim altarium aulæa ſacris ejuſmodi imaginibus inſigniri conſueviſſe, ſupra demonſtratum eſt. Hæc tamen mera conjectura eſt, eademque fortaſſe non admodum firma. Divinabunt alii ejus rei cauſàm, quam non pudet fateri eſſe mihi ignotam.

III.

Redeo ad imagines caſulæ Claſſenſis in totidem orbiculis acu pictas, qua in re nemo non agnoſcet ſolemnem illum morem exprimendi honoris cauſa deorum, principum, & hominum illuſtrium imagines pectore tenus in orbiculis, ſive clypeis, unde id genus imagines, clypeatæ, imo & clypei etiam, & thoraces dici conſuevere, de quo poſt Scaligerum (*a*), Cangium (*b*), Sponium (*c*), alioſque plures, eruditiſſime non ita pridem diſſeruit Philippus Bonarrotius (*d*), tum Juſtus Fontaninius (*e*), & quædam etiam nuperrime protulit Joannes Baptiſta Paſſerius, vir ſummus, mihique multis nominibus colendus (*f*). Hunc morem cum noſtri adoptaſſent, ut videre licet in veterum chriſtianorum monumentis, muſivis nimirum, ſarcophagis, aliiſque apud Aringhium, Ciampinium, Bonarrotium, & alios ejuſmodi antiquitatum collectores, & editores, ad ſacrarum quoque veſtium ornatum traduxerunt, ut conſtat in primis ex Anaſtaſio Bibliothecario, ſive libri pontificalis eccleſiæ Romanæ auctore, qui plurima paſſim, ac præſertim in Leone III. & IV. ſacrarum veſtium donaria, ejuſmodi orbiculis inſignia, commemorat.

IV.

At nullum ejus antiqui moris, exprimendi imagines in ejuſmodi orbiculis, luculentius exemplum me vidiſſe memini, quam in ar-

(a) *Joſ. Scalig. ad an. Euſebii MMCCLXXXVIII. apud Fr. Junium de Pictur. veter. l. ij. c. viij. §.* 12. *pag.* 109.
(b) *Du Cang. V.* Scutum.
(c) *Spon. Miſcel. erud. antiq. ſect. iv. p.* 152.
(d) *Buonarroti oſſervaz. ſopra alcuni Medaglioni ec. pag.* 10. 11. 12.
(e) *Fontanin. Diſcus votiv. veter. chriſt. c. xvij. cit.*
(f) *Paſſerius tom. iij. lucern. fictil. n. LV.*

in argentea illa cruce metropolitanæ eccleſiæ Ravennatis, cujus typum, haud ſatis fideli opera expreſſum, primo edidit Ciampinius (*a*), ac nuper accuratius deſcripſit Paulus M. Pauciadus ex Clericis Regularibus, quem alio loco nominavi, vir apprime eruditus, & orator illuſtris, cujus ego & doctrinam plurimi facio, & amicitiam ſanctiſſime colo. Ea crux, cujus condendæ auctor perhibetur S. Agnellus archiepiſcopus, qui ſub finem IV. ſæculi erat in vivis, quadraginta orbiculis ornata eſt, in quibus totidem Sanctorum imagines, pectore tenus expreſſæ, opere anaglypho, cernuntur. Vulgo autem opinantur crucem hanc ſtationalem fuiſſe, ideſt ex iis, quæ in ſacris ſupplicationibus deferebantur, de quibus agit Ciampinius eo loco, ubi hanc ipſam crucem Ravennatem illuſtrat. Verum ſi hæc ipſa eſt, quam S. Agnellus faciendam curavit, alium fuiſſe ejus uſum exiſtimo. En quid de S. Agnelli cruce ſcriptum reliquerit auctor libri pontificalis eccleſiæ Ravennatis: *Fecit Beatiſſimus Agnellus crucem magnam de argento in Urſiana Eccleſia* (b) *ſuper ſedem poſt tergum Pontificis, in qua ſua effigies manibus expanſis erat* (c) Norunt antiquitatum eccleſiaſticarum ſtudioſi, in more poſitum fuiſſe apud majores noſtros, ut ſignum vivificæ crucis, & ſacrum evangeliorum codicem in ornatiſſimis ſedibus collocarent, cujus rei plura exempla in antiquis picturis occurrunt. Inſignem hujuſmodi hierothronum gemmis fulgentem, & pretioſis aulæis inſtratum, cui crux item gemmata impoſita eſt, videmus in muſivo Ravennatis eccleſiæ S. Mariæ in Cosmedin, quod anno DLIII. factum dicitur, quodque editum eſt a Ciampinio in veterum

(a) *Ciampin. de cruce Station.*

(b) *Urſiana ædes a S. Urſo conditore dicta eſt eccleſia Ravennatium princeps*, Ἅγια Ἀνάστασις *etiam appellata, propterea quod Chriſto reſurgenti dedicata ſit. Eam, a Maphæo Farſetto Archiepiſcopo refici ceptam, abſolvit, & eo ipſo die, quo olim a S. Urſo, hoc eſt idibus Aprilis, A. MDCCIL. in honorem Dominicæ Reſurrectionis iterum dedicavit Ferdinandus Romualdus Guicciolus Archiepiſcopus, in cujus ampliſſimo nomine meus hic libellus in lucem prodit.*

(c) *Agnel. in vita S. Agnelli P. ij. c. iij. p. 126.*

terum monimentorum, parte ſecunda capite x. Edidit & Hieronymus Rubeus ad calcem hiſtoriarum Ravennatium (*a*), ſed ei minime aſſentior, dum putat hanc eſſe veteris formæ aram, in qua Sacerdotes rem divinam facere ſolerent. Eſt enim ſacer thronus cruci ſuſtinendæ deſtinatus, quem dum conſpicio, facile intelligo, qui olim fuerit uſus ejus crucis, quam S. Agnellus in Urſiana æde obtulerat. Thronum ſimilem in quo, præter vivificæ crucis imaginem, divinus codex, ſigillis ſeptem obſignatus, cernitur, pictum habemus in Muſivo Baſilicæ Liberianæ, quod Sixtus III. faciendum curavit (*b*). Libenter autem præclarum hoc monumentum Ravennatis Eccleſiæ hic commemoro, quod his ipſis diebus de eo reſtaurando, & vindicando ab interitu, cui proximum videbatur, ſalubre conſilium captum eſt, jamque opus urgeri audio, volente imprimis ampliſſimo Ravennatis Eccleſiæ Antiſtite Ferdinando Romualdo Guicciolo, curante vero Emerentiano Pignattio, Metropolitanæ Eccleſiæ Canonico, & Cimeliarcha, non humanitate minus, & moribus ſuaviſſimis, quam avita nobilitate ſpectando.

CAPUT V.

(a) *Hieronim. Rub. hiſtor. Rav. pag.* 400.
(b) *To. iij. Anaſtaſ. Biblioth. pag.* 123. *& apud Ciampin.*

CAPUT V.

I. Caſula Claſſenſis latius deſcripta. II. Textrina, & ars plumaria ſequioris ævi. III. S. Aldhelmi locus inſignis de arte plumaria. IV. Singulæ imagines in laciniis caſulæ Claſſenſis perpenſæ. Epiſcopi omnes ibidem caſula induti. Colorum varietas in ſacris veſtibus. V. Liber evangeliorum in Epiſcoporum manibus. Benedicendi ritus. VI. Barbiraſium, & corona clericalis. VII. Epiſcopi omnes, in noſtris laciniis, capite nudo. VIII. S. Firmus Martyr epiſcopali habitu expreſſus. IX. Idem ſine nimbo, ſanctitatis inſigni. X. Quam antiquus nimbi uſus in ſacris imaginibus. XI. Michaelis archangeli caput nimbo ornatum. Globus, mundi ſymbolum, in manu ejus ſiniſtra. Virga etiam angelis tributa in antiquis picturis. XII. Arundo in angelorum manibus XIII. An haſta, & ſecuris angelis tributa. Pachimeris ea de re teſtimonium expenſum. Angeli labarum geſtantes in muſivo Claſſenſi. XIV. Item in tabulis argenteis vetus ſacramentarium contegentibus. XV. Candida vitta circa angelorum capita. XVI. Ciampinius non bonus Pachimeris interpres notatus. XVII. Michaelis nomen, qua ratione olim ſcribi ſolitum.

I.

SEd ſatis jam multa univerſim de veteri caſula ſacerdotali, ejuſque ornatu. Juvat nunc pretioſas illas aurei clavi lacinias, quarum cauſa hæc commentamur, paucis deſcribere; nam de caſula ipſa nihil aliud ſcire datum eſt, quam quod ab Hieronymo Rubeo, qui eam viderat, (*a*) memoriæ proditum eſt, eam ſcilicet *e ſerico argenteo textam* fuiſſe, ideſt ex ſerico, & argento,

(a) *Viderat, opinor, etiam Auguſtinus Fortunius, qui parte ſecunda hiſtoriarum Camaldulenſium capite ſexto, cum de Monaſterio Claſſis verba faceret,* S. Gregorius M. *inquit,* Cœnobium Claſſis multum in deliciis habuit, ejuſque Planeta ibidem aſſervatur, quæ limbum habet aureum, prædeceſſores Pontifices demonſtrans. *En quid de auctore, ſeu donatore caſulæ noſtræ olim vulgo homines judicarent.*

argento, quod texturæ genus multo ſerius inventum eſt, quam aureæ: neque enim argenti uſus in re veſtiaria maximæ antiquitatis eſt, ut obſervat cum Salmaſio Braunius (*a*). Eſt enim auctor Salmaſius argentum in fila diduci, & in re veſtiaria adhiberi non cepiſſe, niſi ſub poſtremis Imperatoribus CPolitanis. Rariorem vero ejus uſum diu fuiſſe in veſtibus ſacris, mihi videor ex Anaſtaſio Bibliothecario poſſe colligere, apud quem veſtes auro textas, pictaſve propemodum innumeras, argento autem vix ullas reperio, nullas autem omnino, niſi qua legentem fugiit, ante Leonem IV. Ad lacinias ergo chryſoclavi noſtri quod attinet, ſi de fundo quæras, in quo orbiculi, cum ſuis parergis, & literis picti ſunt, totus in extima ſuperficie aureus eſt, tam exquiſito artificio concinnatus, & aureis filis, phrygionis opera, adeo compactis, & cohærentibus, ut non aurei intexti, ſed aureæ potius lamellæ ſpeciem referre debuerit, cum integrum erat opus, & nondum tam longæ ætatis uſu, atque attritu deformatum. Atque hanc puto fuiſſe laudem præcipuam veſtis chryſoclavæ, ut non auro utcumque ornata, & illuminata appareret, ſed ſolidum quodammodo aurum in lucidiſſima clavatura imitaretur. Id autem phrygiones conſequi poterant, tum ſpiſſitudine filorum aureorum, quæ nullam inter ſe intercapedinem conſpicuam relinquerent, tum ipſius aureæ picturæ æquatione, & complanatione, quæ in aurea materia, molli admodum, & compreſſionis facillimæ, ſumma eſſe poterat, nec quantum ad oculorum judicium, admodum ab ea diſſimilis, quam poliendo, & levigando ſolidum aurum aſſequimur. Hanc autem auræe clavaturæ, tam lucidæ præſtantiam, niſi ego magnopere fallor, pictores quoque, & calligraphos, ſive chryſographos veteres, imitatos eſſe exiſtimo. Si quis enim comparare velit id, quod ſuperſt picturæ antiquæ, auro inſignis, ſive in tabulis ligneis altarium, vel templorum parietibus, ſive in codicibus manu exaratis, cum aurea illa veteri veſtium clavatura, qualem ex laciniis noſtris fuiſſe illam intelligimus, nihil magis ſimile comperiet. Certe laciniæ hæ noſtræ, qua parte minus obtritæ ſunt, adhuc liquido oſtendunt veriſſimum eſſe quod dico, aureæ ſcilicet lamellæ potius,

(a) *Braun. de veſt. ſacerd. hebr. l.* 1. *c x.*

potius, quam aureæ texturæ ſpeciem debuiſſe in præclaro hoc chryſoclavo apparere, cum recens opus, atque integrum erat. Sunt autem aurea fila, ſeu bracteolæ, quibus opus iſtud pictum eſt, ſericis filis longe ſubtiliſſimis convoluta, aurum vero ipſum adeo purum eſt, ut, facto experimento, vel ſuperet, vel æquet, id, quod ex monetaria officina Regis Hiſpaniarum puriſſimum prodit.

II.

Itaque ſupra aureum fundum, ex auro item, & ſericis filis diverſi coloris tam orbiculi, & quæ iis continebantur imagines, & floſculi, qui quaſi quædam parerga ad conveſtiendas intercapedines, inter ſingulos orbiculos addebantur, quam literæ diſtinguendis imaginibus adjectæ, & lineæ duæ, quas Rubeus memorat, intextum illud hinc inde concludentes, opere phrygio picta erant, illo quidem non admodum eleganti, rudi etiam, ſi imaginum conformationem conſideres, ſed magno tamen artificio, & diligenti, ut in eo facile poſſit agnoſci, quantum olim in arte plumaria noſtri etiam Itali valerent, quoniam ſæculo VIII. quo ſcilicet opinor, opus iſtud eſſe perfectum, tam conſpicua ejus artis veſtigia ſupererant. Quare quod de textrina, totius antiquitatis ſcientiſſimus Ludovicus Muratorius, ſcriptum reliquit, *texendi*, ſcilicet, *artem delicatiorem non defuiſſe temporibus, quæ nos interdum ſupra meritum deſpicimus, noſtra tantummodo mirati* (*a*), id etiam de arte plumandi veriſſimum judico: quod ut idem Muratorius demonſtret, affert inſignem hunc locum S. Aldhelmi, ſive Althelmi, occidentalium Saxonum in Britannia epiſcopi, ex libro de laudibus Virginitatis: *Siquidem*, inquit, *cortinarum, ſive ſtragularum textura, niſi panniculæ purpureis, imo diverſis colorum varietatibus fucatæ, inter denſa filorum ſtamina ultro citroque decurrant, & arte plumaria omne textrinum opus diverſis imaginum thoracibus perornent, ſed uniformi coloris fuco ſigillatim confecta fuerit, liquet profecto, quomodo nec oculorum obtutibus jucunda, nec pulcherrimæ venuſtati formoſa videbitur* (*b*).

Floruit

(a) *Murator. Antiquit. Italic. diſſert. xxv. To. ij. p.* 401.
(b) *S. Aldhelm. de laud. virginit. c. vj. To. xiij. Biblioth. PP. edit. Lugdun.*

III.

Floruit S. Aldhelmus exeunte vii. ſæculo. Conqueritur autem Muratorius hunc locum non reſtitutum, ſed corruptum, & depravatum in nova ejus operis editione, quam curavit Henricus Whartonus, quamque ſecutus eſt clariſſimus Fontaninius, eundem locum afferens in ſuo de Diſco veterum Chriſtianorum commentario, ſæpius citato. Itaque multis diſputat, ut veram ejus loci lectionem reſtituat, ſed fortaſſe is etiam undequaque verum non eſt aſſecutus, dum videri ſibi ſcripſit, *elucere ex Aldhelmi verbis, artem plumariam nihil aliud fuiſſe, quam artem ornandi, ope ſcilicet acus, & diſtinguendi variis imaginibus, aliiſque florum, fructuum &c. telam jam contextam, ipſamque interdum coloribus variatam, qualis fuit ſtragula* (*a*). In hunc modum certe artem plumariam ab aliis deſcriptam video, & imprimis a Petro Comeſtore, qui circa annum MCLXX. floruit (*b*). At S. Aldhelmus artis plumariæ nomine eam voluiſſe videtur, qua non tela jam confecta, acu pingitur, ſed in ipſo texendi artificio, variis imaginibus ornatur. Cur enim ibi Aldhelmus *panniculas* (*c*) *purpureis, imo diverſis colorum varietatibus fucatas, inter denſa filorum ſtamina ultro citroque decurrentes* memorat? Nonne his verbis ipſum texendi artificium, non vulgare illud, & commune, ſed præclarum, & ingegnioſum, quo figurata ſtragula texuntur, graphice pingit, & veluti ſub oculos ponit? Nullum igitur mihi dubium eſt, quin artis plumariæ nomine ſequior ætas appellaverit utramque artem, & acu pingendi, & texendi: nec ſatis video, cur locum illum S. Aldhelmi afferre potuerit Muratorius, ut oſtenderet artem plumariam eam eſſe, qua acus ope, tela jam contexta variis imaginibus ornatur.

IV.

Eſſet hic locus expendendi tum Sancti Michalis Archangeli, &

(a) *Murator. loc. cit. p.* 403.

(b) *Petrus Comeſtor. in c. xxvj. exod. ap. Murator. loc. cit.*

(c) *Muratorius* paniculas, *ſive* panuculas *mavult. Eſt autem* panicula, *ſeu* panucula *glomus ſubteminis, radio textorio involutus, ut ex Caſaubono idem Muratorius ibidem docet.*

li, & Sancti Firmi martyris, tum epiſcoporum imagines, quæ in fragmentis noſtræ caſulæ expreſſæ ſunt, in quo quidem liceret eſſe admodum prolixos, ſi ea regerere placeret, quæ millies jam a noſtris ſcriptoribus, & partim etiam ab hæreticis, in eccleſiaſticarum antiquitatum ſtudio exercitatiſſimis, ſcripta ſunt. Sed nolo lectorum patientia abuti, qui intemperantem ejuſmodi eruditionis oſtentationem faſtidire ſolent. Paucis igitur narrantis potius, quam differentis in modum, rem hanc totam expedio. Singuli epiſcopi caſula induti ſunt, neque ejuſdem formæ, neque ejuſdem coloris. Aliorum enim caſulæ aureo clavo inſignitæ ſunt ad modum vetuſti pallii archiepiſcopalis, cujuſmodi erat noſtra caſula Claſſenſis; aliorum vero non item. Hinc etiam cognoſci poteſt eiuſmodi ornatum communi uſu receptum non fuiſſe eo tempore, quo caſula Claſſenſis confecta eſt, quemadmodum poſtea accidiſſe exiſtimo. Certe Honorius Auguſtodunenſis ſæculi XII. ſcriptor, de caſulæ ſacerdotalis figura, & uſu, & myſtica ſignificatione differens: *Huic*, inquit, *in ſupremo humerale forinſecus annectitur, quia ſpes caritatem amplectitur* (*a*). Humerale igitur, ideſt ornatum hunc vetuſtum caſularum, communi uſu receptum ætate ſua ſupponere hic videtur Honorius Auguſtodunenſis. *Theodori* caſula hac una re a ceteris differt, quod ſupra ſiniſtrum humerum plagulam habet duplicem violacei coloris, cum tota rubea ſit. *Germanus* vero, & *Conceſſus* tunicæ manicam, ad carpum uſque manus dexteræ pertingentem, aureis lineis ornatam oſtendunt, quod videre etiam licet in manuleata tunica S. Apollinaris in muſivo Claſſenſi, & in aliis ſanctorum antiquis imaginibus. Caſulæ autem omnes, quibus induti ſunt epiſcopi Veronenſes, & Sanctus *Firmus*, & archangelus *Michael* in noſtris laciniis, cum ſericæ ſint, calliculis tamen, ſive lineis aureis fulgeſcunt, ut volupe ſit oculis hic ſubjectum habere ſpecimen aliquod antiquæ rei veſtiariæ, de qua tam multis differunt eruditi, utinam Andabatarum more inter ſe non raro dimicantes. Colorum vero in his caſulis hæc varietas. *Michaelis* archangeli rubea eſt veſtis. Sancti martyris *Firmi* viridis, atque hanc colorum alternationem cernere licet in veſtibus cete-

F rorum

(a) *Honor. Auguſtod. lib. de gemma animæ apud Georg. l. cit.*

rorum epiſcoporum, qui in noſtris laciniis ſuperſunt. Unus eſt Innocentius caſula violacea indutus. Atque hos quidem colores in ſacris veſtibus uſitatiſſimos fuiſſe conſtat, ut mirum ſit Joſephum Vicecomitem de viridi ſcripſiſſe, nullam ejus mentionem in antiquis monumentis eccleſiaſticis reperiri (*a*). Sed eum egregie confutat Dominicus Georgius (*b*), & hæc etiam caſulæ noſtræ fragmenta, quantum a vero aberraverit oſtendunt. De hac varietate colorum, in uſu ſacro, plura ſcriptores liturgici; de eorum vero myſtica ſignificatione, quæ fuerit hominum opinio jam inde a quarto Chriſti ſæculo, oſtendunt hæc Bachiarii monachi verba in extremo libro de reparatione lapſi ad Januarium: *Et tu ergo lava ſtolam tuam in fonte lacrymarum: fortaſſe poteris byſſum caſtitatis imitari. Quid ſi donaverit tibi* (Deus) *purpuram, & ut pro nomine ejus ſuccum tui cruoris effundas? Coccum autem abundare tibi poterit, ſi erubueris in iis, quæ antea geſſiſti. Nec deerit tibi hyacinthus, ſi livore obcalueris corpus tuum, & in ſervitutem redegeris. Ac ſic cum his coloribus fortaſſe poteris in tabernaculum domini miſceri quandoque* (*c*).

V.

Singuli item epiſcopi ſiniſtra librum geſtant, auro ornatum, quo ſacrum evangeliorum codicem deſignari notiſſimum eſt; dexteram alii in benedicentis modum conformatam habent, digitis latino more compoſitis; alii apertam extollunt, ut concionantis geſtum, ni fallor, oſtendant. Ut autem rectiſſime inde ab antiquioribus ſæculis epiſcopos pingi inſtitutum eſt cum evangeliorum codice, vel volumine, eo quod teſtante Apoſtolo, ſacrum illud depoſitum eorum fidei commiſſum ſit (*d*); ita uterque ille geſtus benedicentis, & concionantis epiſcopos maxime decet, quorum potiſſimum munus eſt, fideles ſacris benedictionibus, ſanctificare, & divini verbi pabulo nutrire (*e*). Ac benedi-

(a) *Joſ. Vicecomes l. j. de Miſſæ appar. c. xij.*
(b) *Georg. de liturg. R. P. l. ij. c. xiij.*
(c) *Bachiar. de repar. lapſi n.* 23.
(d) 1. *Timoth. c. vj.* 20. 11. *Timoth. c. j.* 12.
(e) *Vid. Bonarrot. oſſervaz. ſopra alcuni frammenti ec. p.* 81.

benedicendi quidem officium ita olim epiſcopis convenire judicabatur; ut eo presbyteros uti non liceret, quemadmodum a Chriſtiano Lupo demonſtratum eſt (*a*). Hinc factum puto, ut eo potiſſimum geſtu epiſcopos in antiquis monumentis pictos, fictoſve cernamus. Plura de benedicendi ritu, ſi quis cupit, præter Lupum, ante laudatum, Bonarrotium, alioſque ab eo indicatos adibit.

V I.

Omnes etiam vel raſa, vel certe admodum decurtata barba exhibentur, qui uſus clericorum, & monachorum apud latinos noſtros perantiquus radendi, vel ſevere admodum caſtigandi barbam, religioſe ſervatus eſt, iis etiam temporibus, & locis, quibus non parum cleri diſciplina in deteriorem ſtatum adducta erat. Quare *eccleſiarum rectores* ſui temporis, ait Petrus Damianus, *tanto vertiginis impulſu rotari, ut eos a ſæcularibus barbiraſium quidem dividat, ſed actio non diſcernat* (*b*). Idem reprehendebat olim in ſuis clericis Ratherius Veronenſis in libro de contemptu canonum. Quid ni autem epiſcopi Veronenſis teſtimonium uſurpem, ubi de epiſcopis Veronenſibus diſſero? Sic ergo habet Ratherius: *ad tantam conſuetudo impulit impudentiam, ut ſolummodo barbiraſio, & vertice, cum aliquantula veſtium diſſimilitudine, nudo, diſtare eos videas a ritu laico*. (*c*) Fuit autem cleri latini, nam græcos barbæ ſtudioſiſſimos ſemper fuiſſe conſtat, varia admodum diſciplina, quo ad barbam vel alendam, vel abjiciendam. Hac tamen lege id plerumque variaſſe videtur, ut quibus temporibus profani homines barbam paverint, iis clerici abjecerint: contra vero nutrierint, cum illi barbam acrius cædere, & vultum radere amarunt, quo ſcilicet oſtenderent ſe maxime deſpicere, quæ ceteri homines in deliciis haberent, & vaniſſimo ſtudio ſequerentur. Primis tamen religionis chriſtianæ temporibus, vel omnes, vel certe pleroſque chriſtianos barbam aluiſſe exiſtimo, quod abunde demonſtrat Joannes Lamius

(a) *Chr. Lup. in Concil. Rom. VII. ſub Gregor. VII. Oper. tom. vj. pag.* 239. *ſeq.*
(b) *S. Petr. Damian. l. j ep.* 15.
(c) *Rather. Veronen. l. de contemptu canon. parte ij.*

V. C. quo haud ſcio, an ſuperiorem in omni eruditionis, & doctrinæ genere ætas noſtra tulerit (*a*). At epiſcopi Veronenſes picti in laciniis noſtræ caſulæ Claſſenſis, non ſolum *barbiraſio*, *& nudo vertice*, ſed breviſſimo capillo vetuſtum clericalis diſciplinæ rigorem oſtendunt. Quod ſi non omnes ad unum raſo vertice apparent, id artificis licentiæ tribuendum eſt, qui pro varia vultus poſitura, hunc oſtentare voluit raſum vertice, illum non item. *Raduntur* (clerici) *in ſummitate capitis, capillis remanentibus ſparſis circa tonſuram, nec deſcendentibus ſub oculis, neque ſub auribus.* Ita clericalem tonſuram deſcribit anonymus quidam, cujus opuſculum liturgicum in codice membranaceo XI., vel ut minimum XII. ſæculi, penes me habeo. Talis eſſe debebat anonymi hujus ætate tonſura clericalis, ſed olim etiam ſeveriorem fuiſſe novimus tondendi cleri diſciplinam, capillis non modo non infra, ſed vix ad mediam auriculam deſcendentibus, ut, ne vetuſtiores canones afferam, veteres picturæ plures demonſtrant, & illa imprimis S. Gregorii Magni, quæ erat Romæ in noſtro monaſterio S. Gregorii ad clivum Scauri, quam Angelus Rocca (*b*), aliique plures ad fidem prototypi expreſſam ediderunt.

VII.

Quod vero omnes nudo capite, & abſque mitra, vel alio quovis ornatu, vel tegumento picti ſint, id nemo mirabitur, niſi qui totius antiquitatis imperitiſſimus ſit. Sive enim velimus mitræ uſum vetuſtiſſimum eſſe, & fortaſſe ab apoſtolorum ævo repetendum aliquod capitis ornamentum, quo epiſcopi in ſacris faciundis uterentur, ut aliqui affirmant; ſive id recentius inventum ſit, ut aliis videtur (*c*), illud compertum eſt, per plura ſæcula epiſcopos nudo prorſus capite pingi conſueviſſe, quod etiam de Romanis pontificibus obſervat clariſſimus Joſeph Garampius, canonicus Vaticanæ baſilicæ, & archivo item Vaticano præfectus, in egregia diſſertatione de nummo argenteo Benedicti VIII. qua in ipſo flore juventæ edita, incredibilem ſibi eruditionis fa-

(a) *Jo. Lam. de erudit. apoſtol. c. iv. pag. 63. ſeq.*
(b) *Angel. Rocca tom. ij. pag. 368. edit. Rom.*
(c) *Vid. præ ceteris cardinal. Bona rerum liturg. c. xxiv. §. xiv.*

nis famam conciliavit (*a*). Quod ſi caſula Claſſenſis opus eſt ſæculi VIII., ut mihi veroſimile videtur, qua de re poſtea dicendum eſt, non eſt cur quiſpiam miretur, epiſcopos in ea pictos mitræ ornamento carere, cujus uſus vel plane nullus, vel certe rariſſimus ante ſæculum x. fuiſſe videtur (*b*). Imo vel ipſi Romani pontifices diu etiam poſtquam mitræ uſus frequentior eſſe cœperat, capite plerumque nudo pingi conſueverunt, ut idem Garampius obſervat (*c*).

VIII.

Nihil igitur occurrit in his epiſcoporum imaginibus, quod inſignem non oſtendat antiquitatem, ſed nihil tamen, quod longiori explicatione, & illuſtratione uberiori egere videatur. Sed tamen in *S. Firmi* protome eſt aliquid inuſitatum, & inſolens. Eſt enim martyr beatus corona clericali inſignitus, eodemque cultu, atque veſtitu, quo ceteri epiſcopi, quamquam nullo eccleſiaſtico ordine initiatus fuerit, ſi qua habenda eſt fides ejus, & ſodalis ſui *S. Ruſtici* actis, quæ circumferuntur, quæque licet a Ruinartio locum non meruerint inter acta ſelecta martyrum, plurimi tamen facienda eſſe clariſſimus Maffejus demonſtrare conatus eſt (*d*). Erit ne igitur inſuetus iſte ſancti martyris ornatus pictoris licentiæ tribuendus, an veram aliquam rationem ſecutus eſſe credendus eſt is, qui *S. Firmum* in eum modum expreſſit? Pictores certe, & id genus artificum multa ſæpe numero audere contra veritatem hiſtoriæ manifeſtum eſt. Sed fortaſſe ad effuſam honoris ſignificationem eccleſiaſticus ille ornatus ſancto martyri tributus eſt. Cum enim in eccleſia Veronenſi ſummum honoris gradum obtinere Ss. martyres *Firmum*, & *Ruſticum* animadverteret is, qui caſulam Claſſenſem fieri curavit, & ſolemnem illum ſacerdotum, & pontificum habitum, omnium, qui in uſu eſſent apud mortales, nobiliſſimum judicaret; non melius horum

(a) *Garampi de num. argent. Benedicti VIII. c. v. n. 5. pag.* 120.
(b) *Vid. Mabillon. præfat. in ſæc. Benedictin. P. ij. §. clxxxij. Georgium de liturg. Rom. Pont. l. j. c. xxvj. &c.*
(c) *Garampi l. cit. p.* 121.
(d) *Maffei in append. ad hiſtor. diplomat.*

horum martyrum dignitatem, & excellentiam declarari poſſe putavit, quam ſi illos eo cultu, & ornatu exhiberet, quo præſtantiorem nullum agnoſceret.

IX.

Eſt id etiam in ſancti hujus martyris protome animadvertendum, non eſſe ejus caput nimbo circumdatum, quo tamen ornatum aſpicimus caput archangeli *Michaelis*. Ceteri quoque epiſcopi, in laciniis noſtris expreſſi, eo honoris inſigni diſtituti ſunt, quamquam non dubito, quin ex eo numero plures, iique præſertim, qui ceteris antiquitate præſtant, cultum Sanctis debitum in eccleſia Veronenſi, jam inde a primis ſæculis obtinuerint. Sed id tamen & prudenter, & juxta morem, tunc in eccleſia uſitatum, factum eſt. Qui enim earum imaginum pingendarum auctor fuit, vel ipſo earum ornatu varios, ut ita dicam, ſanctitatis gradus angelorum, martyrum, & pontificum oſtendere voluit, quod etiam apta earum diſtributione demonſtrare conatus eſt, dum circa divinum numen, ſub manus ſymbolo expreſſum, primo angelorum principes duos, dein martyres item duos, denique epiſcopos omnes collocavit. Itaque hanc eandem œconomiam ſecutus, archangelos nimbo caput ornatos exhibuit, martyres vero non item: ſed eoſdem tamen ſanctitatis titulo inſignivit, quem titulum in tanto ſanctiſſimorum epiſcoporum numero conceſſit nemini, ratus, opinor, epiſcopi appellationem, quæ ſingulis additur, ſatis magnam laudem continere.

X.

Ad nimbum vero, quod attinet, pluribus oſtendit clariſſimus Bonarrotius ejus uſum a gentilibus manaſſe ad noſtros, & primo Chriſti domini, tum Deiparæ, & angelorum, dein apoſtolorum, & evangeliſtarum, denique reliquorum ſanctorum imaginibus indiſcriminatim additum fuiſſe, ſerius tamen, & ſaltem poſt ſæculum VIII. (*a*). At ſæculo X. nullum dubium eſſe ait, quin uſus ille plane eſſet ubique receptus; quod hic animadvertendum fuit, ut hinc etiam conjecturam utcumque capere liceat, ad agnoſcen-

(a) *Oſſervazioni ſopra alcuni frammenti ec. pag.* 60. *ſeq.*

agnoſcendam caſulæ noſtræ antiquitatem, in qua ſoli archangelo *Michaeli* iſtud honoris inſigne tribuitur. Qui plura hac de re cupit eruditum Marangonium adeat, quem comperiet non parum a Bonarrotio diſſentientem (*a*).

XI.

Sed de ſanctorum imaginibus hactenus. Reſtat *S. Michaelis* imago paucis expendenda. Quæ ejus veſtis ſit, ſatis aſſequi non poſſum, haud multum tamen ab uſitata in ceteris imaginibus caſula diſtare videtur. Quod ſi ita ſit, minus jam mirabimur *Firmum* martyrem non alia, quam reliquorum epiſcoporum, veſte ornatum exhiberi. Manu dextera benedicendi geſtum exprimit, quod etſi fortaſſe in antiquis picturis angelorum, aut rarum, aut inuſitatum ſit, non eſt tamen a ratione alienum; quid enim magis æquum dixerim, quam, ut qui nobis plurimum bene facere & poſſunt, & volunt, eos bene ominantis in modum repræſentent pictores noſtri, alias in fingendo liberrimi? Altera manu globum geſtat, quo mundum hunc deſignari non dubito, ſanctorum angelorum tutelæ divinitus commiſſum. Nihil attinet dicere, quam vetus iſte mos ſit, mundum ſub globi figura, & ſymbolo exprimendi; teruntur enim omnium manibus antiqua numiſmata, ne quod aliud monumentorum genus requiram, hoc typo inſignita. In iis ſæpiſſime occurrunt chriſtiani imperatores altera manu hunc mundi typum gerentes; atque huc reſpexiſſe arbitror majores noſtros, cum ſanctis angelis hoc idem mundi ſymbolum tribuere cœperunt. Quod enim aſſentandi ſtudio erga terrenos principes fieri videbant, id æquiori jure erga ſanctos angelos fieri voluerunt; eorum enim, ut ſcribit S. Joannes Damaſcenus *certas quiſque terræ partes cuſtodiunt, nationibus, & regionibus præſident, prout a ſummo opifice præfecti ſunt, res noſtras gubernant, ac nobis opem ferunt* (*b*). Iiſdem quoque baculum, ſeu virgam, vel potius arundinem, quandoque & labarum tribuerunt. Ac vetera monumenta ſcrutanti palam fiet, angelos, atque imprimis hos duos cæleſtium ſpirituum principes *Michaelem*, & *Gabrielem*, modo

(a) *Marangoni delle coſe gentileſche &c. c. xxxv. p.* 140. *ſeq.*
(b) *S. Jo. Damaſc. de fide orthodoxa l. ij. c. iij.*

modo cum ſola virga, ſive arundine, aut labaro, modo ſolum cum globo, modo autem cum utroque attributo pingi, cælarive conſueviſſe. Fateor tamen in picturis omnium antiquiſſimis apud Ciampinium, Bonarrotium, Aringhium, alioſque harum antiquitatum editores, ac præſertim in noſtris muſivis Ravennatibus, quæ mihi quotidie ob oculos obverſantur, vel nullum ex his attributis, vel ſolam virgam, aut labarum mihi hactenus videre contigiſſe; globum vero in aliis eſſe viſum, quæ ſerius eſſent factæ.

XII.

Ut porro nullum dubium eſt, quin globus in angelorum manibus mundum deſignet, ita maxime incertum diligentiſſimo Ciampinio aliquando viſum eſt, quidnam ſignificet baculus, ſeu virga iiſdem tributa. Sed is tamen poſt diutinam inquiſitionem ſcite conjecit, non qualemcumque baculum, aut virgam, ſed arundinem eſſe, quæ angelis tribuitur in antiquis picturis; quam quidem conjecturam ſibi ſuppeditaſſe ait celebrem illum apocalypſeos locum, ubi legimus angelum, a Joanne viſum manu geſtantem *arundinem auream, ut metiretur civitatem, & portas ejus* (*a*). Id vero nullo negotio comperiſſet, ſi muſivum Ravennatis eccleſiæ S. Michaelis archangeli, non in malefida graphide, quam hinc accepit, & vulgavit (*b*), ſed in prototypo ipſo, præſens conſpicere potuiſſet. Hic enim videre licet in media abſide Chriſtum dominum ſtantem, & hinc & inde Michaelem, & Gabrielem, arundinem auream ſiniſtra manu geſtantes, quæ quidem arundo ita graphice expreſſa eſt, ut vel ipſa ejus internodia, æquis ſpatiis diſtributa, & nigello ſigno notata, diligentem inſpectorem fugere non poſſint.

XIII.

Affert ſubinde Ciampinius Pachimeris, græci ſcriptoris, teſtimonium, cujus opinio eſt, *virgas angelorum deſignare regiam, & ducalem dignitatem, rectamque rerum divinarum ordinationem. Haſtas, & ſecures vim diſſimilia dividendi, virtutumque diſcernere valentium*

(a) *Apoc. c. xxj. v.* 15.
(b) *Ciampin. veter. monim. P. ij. c. viij.*

lentium acumen (*a*). Vides auctorem hunc arundines in angelorum manibus non agnoviſſe, ſed ſolum virgas, eorum regiam, & ducalem, ut ipſe ait, dignitatem deſignantes. Huic ego facile aſſentiar, non ſemper arundinem, ſed virgam quandoque, ab arundine diverſam, angelis tributam fuiſſe. Sed quæ ei habenda ſit fides, dum haſtas, & ſecures memorat, neſcio. Num ſecures pro labaris accepit? Labarum fortaſſe, quod breviori haſtæ infixum ſit, ſecuris, aut potius bipennis ſpeciem aliquam homini minus oculato ingerere poſſe non negarim. At enimvero, nec quæ in noſtris muſivis Ravennatibus hodie dum extant, angelorum imagines, nec ullæ, quas uſpiam alibi viderim, aliquid, quod cum ſecuri commune ſit, manibus geſtant. In noſtro Claſſenſi muſivo, cujus ectypon vulgavit Ciampinius (*b*), taxiarchæ duo *Michael*, & *Gabriel* labarum ſiniſtra gerunt, & quidem lemniſcis infra fluitantibus ornatum, & quibuſdam etiam græcis literis inſcriptum, quarum adeo tenuia reſtant veſtigia, ut ex iis ſententiam nullam exſculpere liceat. En quantum veterum literarum in eo labaro, ſcalis admotis, videre potui:

A Γ I O C

- - - - - - - - - - -

- - - - - - - O C

A - - - - - - - - - -

Erat hæc fortaſſe ſolemnis quædam in Deum acclamatio, ut Α'γιος ὁ Θεός, Α'γιος ἀθάνατος, aut alia quæpiam non diſſimilis. Sed, ut ſunt pleraque Ravennatium eccleſiarum muſiva a Ciampinio edita, non admodum religioſe ad prototyporum fidem delineata, neque lemniſci ulli, neque literarum veſtigia in labaris, quæ in muſivo Claſſenſi obſervantur, in tabulis Ciampinianis apparent.

X I V.

Cum labaris pariter exhibentur *Michael*, & *Gabriel* in argenteis tabulis anaglyphis, quibus contegitur vetus ſacramentarium, quo a S. Petro Damiani donatum perhibent S. Dominicum Loricatum, quodque pertinuit ad eremum ab ipſo S. Petro

G Damiano

(a) *Pachimer. Paraphr. in lib. de cæleſti hierarch. apud Ciampin. l. cit.*
(b) *P. ij. c. xj. tab. xxiv.*

Damiano conſtructam ad radices montis Suavicini in Picentibus. Earum tabularum ectypon, & totius ſacramentarii exemplar, ſua manu quam diligentiſſime exſcriptum, communicavit mihi vir eruditus Octavius Turcius canonicus Piranus, vetere mihi neceſſitudine conjunctiſſimus, qui de eo ſacramentario agit in libro, quem de vita S. Dominici Loricati, his ſuperioribus annis ſcripſit, & publicæ luci donavit (*a*).

X V.

Aliæ angelorum imagines, manu labarum geſtantes, nunc mihi in mentem non veniunt, neque in id diutius inquirere vacat; vereor enim, ne quis mihi vitio vertat, quod longius ab inſtituto meo aberraverim. Unum eſt tamen, quod præterire nequeo, a me animadverſum in angelorum imaginibus, quæ in muſivis noſtris Ravennatibus ad divi Michaelis, & ad divi Martini in cælo aureo viſuntur; angelorum nempe capita candidula vitta cincta eſſe, quod in ectypis Ciampinianis non apparet, & facit fortaſſe ad illuſtrandum id, quod Pachimeres de ducali angelorum dignitate dixerat; in ea enim vitta quamdam coronæ ſpeciem aliquis fortaſſe haud fruſtra requiret (*b*).

X V I.

Sed hic tamen monere juvat, inepte omnino uſurpatam a Ciampinio Pachimeris auctoritatem, qui non agit de angelorum imaginibus, quaſi ſcilicet mos eſſet angelos pingi, virgas, ſive haſtas, & ſecures manibus geſtantes. Id ſane alienum eſt a Pachimeris ſententia, qui non de imaginibus noſtris agit, quibus angelos pingere, aut fingere ſolemus, ſed de illis, quæ in ſacris literis leguntur, quod profecto non ignoraſſet Ciampinius, ſi locum illum Pachimeris, quem affert, non undeunde corraſiſſet, ſed ab auctore ipſo mutuaſſet. Vide quid ſibi objiciat Pachimeres, poſtquam multa dixerit de angelorum imaginibus: *Quod ſi objeceris*, inquit, *nos nequaquam omnium ex ordine, quæ in ſcripturis continentur virtutum, aut operationum, imaginumve angelicarum feciſſe mentionem, reſpondemus, id, quod res eſt, nos quarumdam ſupermun-*

(a) *Turchi Vita di S. Domenico Loricato c. xxiij. p.* 148.
(b) *Conſule Paſchal. de coron. l. ix. c. iij. v. &c.*

permundialem ſcientiam ignoraſſe (*a*). En cujuſmodi ſint imagines, de quibus agit Pachimeres.

XVII.

Sed redeo ad imaginem *S. Michaelis* noſtræ caſulæ Claſſenſis, quæ veteri more adſcriptum habet ad latus ejus nomen in hunc modum:

M
I
C
H
A
I-E
L

Iiſdem elementis ſancti hujus archangeli nomen expreſſum eſt in muſivo Claſſenſi, & quidem H, & E ſimul nexis, ut in noſtris laciniis cernitur, ſed tamen in ejus muſivi ectypo apud Ciampinium (*b*) nil tale videre licet. Puto autem in extrema ſyllaba ejus nominis literam H aliquandiu retentam ea ipſa de cauſa, qua in ſanctiſſimo nomine Jesu eadem litera uſurpata eſt, & ad hanc uſque diem in ejus monogramate IHS adhibetur, in quo litera illa H non adſpirationem, ut vulgus hominum fortaſſe exiſtimat, ſed græcum ἦτα deſignat. Adi, ſi lubet, eruditiſſime hac de re diſſerentem Franciſcum Victorium VC., in diſſertatione de monogrammate SS. Nominis Jesu (*c*). Neque me movet, quod literæ H adnectitur E in *Michaelis* nomine, nam id ipſum quoque in auguſtiſſimo nomine Jesu accidiſſe conſtat ex epiſtola Hieremiæ archiepiſcopi Senonenſis, Porphyrii philoſophi auctoritatem uſurpantis, quam ex Spicilegio Acheriano ibidem producit Victorius (*d*). Ita enim quærenti Amalario, quæ ratio ſit ſcribendi nominis Jesu, reſcripſit

(a) *Pachimer in c. xv. de cæleſti hierarchia ex verſione Balthaſ. Corder. ædit. Antuerpiæ* 1634.
(b) *Ciampin. Veter monim. P. ij. c. xj tab. xxiv.*
(c) *Fr. Victorius diſſert. de SS. Nomine Jeſu pag.* 37. *ſeq.*
(d) *Ibid. pag.* 42.

ſcripſit Hieremias: *Porphyrius philoſophus Nomen* Jesu *in Anacroſtica ſua latine ſcribit hoc modo* Jhesus, *quem novimus utriuſque linguæ peritiſſimum fuiſſe, uſus videlicet* Ita *græca litera pro* H *longa*. Similem ergo fortunam *Michaelis* nomen aliquando ſubiiſſe videtur.

CAPUT VI.

I. Catalogi antiſtitum Veronenſium collati cum diptycho Claſſenſi. II. Ejus diptychi cum Rhythmo Pipiniano conſenſus, quoad priores octo epiſcopos. III. Canones duo pro ceteris epiſcopis rite diſtribuendis. IV. Succeſſio quatuor epiſcoporum poſt priores octo, ſecundum rationem temporis digeſta. V. Alii rurſum epiſcopi tres & viginti certa ratione collocati. VI. Junioris, *&* Sigiberti *ætas cognita, aliorum ætati utcumque cognoſcendæ opportuniſſima. VII. Quatuor reliquis locus, ex conjectura, aſſignatus. Singulorum ordo expoſitus.*

I.

SEd age jam conferamus noſtrum hoc textile diptychum cum notis epiſcoporum Veronenſium catalogis. Eos eſſe mendoſiſſimos jamdiu ſuſpicati erant viri eruditi, ac Panvinius ipſe, Veronenſium ſuæ ætatis doctiſſimus, antiquorum patriæ ſuæ antiſtitum ſucceſſionem confuſam, & perturbatam eſſe agnoverat, qui propterea multorum Veronenſium antiſtitum, quorum tam geſta, quam tempora incomperta habuit, nuda nomina, ordine alphabetico, deſcripſerat, ut obſervat clariſſimus Maffejus, in epiſtola de epiſcopis Veronenſibus ad Coletum (*a*). At vero ubi publicam lucem aſpexit Rhythmus Pipinianus de laudibus Veronæ, quem primo edidit Jo. Mabillonius in Analectis, tum ſemel atque iterum Scipio Maffejus (*b*) ejuſmodi catalogi, paſſim editi, e gradu dejecti ſunt. Hoc enim ordine procedunt octo priores epiſcopi, in catalogo, quem edidit Ughellius, quique omnium inſtar eſſe poteſt.

EUPRE-

(a) *Apud Ughel. in ep. Veron. edit. Ven.*
(b) *Maffejus cit. ep. &c.*

I. EUPREPIUS.
II. CRICINUS.
III. AGAPIUS.
IV. GAUDENTIUS.
V. SATURNINUS.
VI. LUCILLUS.
VII. DIMIDRIANUS.
VIII. ZENON.

Singulis ſanctitatis notam addit Ughellius, qui & cujuſque obitus diem, & annum aſſignat, quaſi hæc ad liquidum explorata eſſent. At Rhythmus Pipinianus priores octo epiſcopos hoc ordine deſcribit:

Primus Veronæ prædicavit EUPREPUS *epiſcopus*,
Secundus DIMIDRIANUS, *tertius* SIMPLICIUS,
Quartus PROCULUS *confeſſor*, *&* *paſtor egregius*.
Quintus fuit SATURNINUS, *&* *ſextus* LUCILLIUS,
Septimus fuit GRICINUS *doctor*, *&* *epiſcopus*,
Octavus paſtor, *&* *confeſſor* ZENO *martyr inclitus*.

Quanta diſſenſio eſt catalogorum, qui circumferuntur, cum Rhythmo Pipiniano, tanta eſt conſenſio inter Rhythmum ipſum, & noſtrum diptychum Claſſenſe in his prioribus epiſcopis recenſendis, ut apparet tum ex Rubei teſtimonio, tum ex fragmentis, quæ ſuperſunt. Rubeum vidimus ita caſulam Claſſenſem deſcribere, ut ſupra manum apertam, quæ dorſi medium tenebat, in circulo quique ſuo, præter *Raphaelem* archangelum, & *Ruſticum* martyrem, picti fuiſſe dicantur *Euprepius*, *Dimidrianus*, *Dimilianus* incogitanter legerat Rubeus, *Simplicius*, & *Proculus*: Tum *in cornu tranſverſo*, *ſurſum ſinuato*, *Zenonem*, *Gricinum*, *Lucillum*, *Saturninum*, *Germanum*, *Felicem*, *Silvinum*, & *Theodomum*, hoc eſt *Theodorum*, ut eſt in laciniis noſtris (*a*), ſe legiſſe narrat.

II.

Niſi duo illa fragmenta haberemus, quæ numero II. & III. in tabula huic diſſertationi præmiſſa, exhibentur, difficile eſſet ex hac Rubei deſcriptione intelligere, quo ordine in caſula Claſſenſi

(a) *Tab.* I. *n.* III.

ſenſi ſinguli hi epiſcopi locati eſſent. Sed hiſce fragmentis inſpectis, nullo negotio aſſequimur, ea una ratione poſſe illos diſtribui, qua in duplici ſchemate, quod ſupra datum eſt (*a*), notati conſpiciuntur, in quod ſi quis oculos, animumque ſerio intenderit, non poſtulabit, opinor, ut id pluribus exponam. Primo itaque ſupra manum in medio caſulæ dorſo conſpicuam, occurrit arcangelus *Michael*, tum S. *Ruſticus*, deinde quatuor primi epiſcopi, in Rhythmo Pipiniano deſcripti. Ubi vero aurea tænia bifariam ſcinditur, & ad humeros aſſurgit, quatuor rurſum epiſcopi ſequuntur eodem ordine, quo in Rhythmo Pipiniano notantur. Concinit igitur mirum in modum Rhythmo Pipiniano diptychum noſtrum, quoad octo priores epiſcopos, quo fit, ut alterum ex hiſce monumentis alteri fidem adſtruat, & alterius auctoritate firmetur.

III.

Sed cito nimis deſtituimur duce optimo, Rhythmo Pipiniano, qui in *Zenone* deſinit, neque ex vulgatis catalogis ſatis præſidii ſperare fas eſt ad ceteros rite diſtribuendos. Videndum igitur, num aliunde lux ulla affulgeat hiſce tenebris diſcutiendis. Puto autem in re alias admodum obſcura, duo omnino ſtatui poſſe, vel plane indubia, vel vero ſaltem ſimillima. Primum eſt, non alios, quam Veronenſes epiſcopos in caſula Claſſenſi fuiſſe deſcriptos. Cur enim alios fingamus, & cujuſnam tandem eccleſiæ? Quod ſi alios, præterquam Veronenſes, permixtos hic voluiſſet quiſquis ille fuerit, qui id operis excogitavit, & perficiendum curavit, non erat cur hinc & inde, quaſi anteſignanos præmitteret ſanctos protomartyres eccleſiæ Veronenſis *Firmum*, & *Ruſticum*, iiſque ſtatim priores octo Veronenſes epiſcopos ſubjiceret. Fruſtra igitur hic alios quæras antiſtites, quam Veronenſes. Quod ſi hunc canonem conſtituere liceat, id ſaltem emolumenti eſſe intelligimus in noſtro hoc Claſſenſi, vel ut verius dicam, Veronenſi diptycho, ut ejus ope non modica fieri poſſit acceſſio vulgatis catalogis epiſcoporum ejus florentiſſimæ eccleſiæ. Hinc enim treſdecim omnino epiſcopi emer-

(a) *Tab.* II. & III.

emergunt Ughellio, duodecim autem Biancolino ignoti *Lucius*, *Montanus*, *Germanus*, *Conceſſus* unus & alter, *Petrus*, *Romanus*, *Arborius*, *Clemens*, *Modeſtus*, *Dominicus*, *Andreas*, & *Sigibertus*. Poſtremum hunc non ignoravit Biancolinus, qui ejus nomen in ſuum catalogum nuperrime intulit ex veteri charta, de qua poſtea dicemus. His autem fortaſſe adjungendus eſt *Valens* epiſcopus, alter ab illo, quem Veronenſes ut ſanctum publice venerantur, & colunt.

IV.

Alterum, quod mihi velim concedi, illud eſt, non temere, atque ut caſus tulit, ſed certa ratione, & ordine ſingulos epiſcopos in caſula Claſſenſi pictos fuiſſe. Cur enim priores octo rite diſtributos credam, ceterorum ordinem neglectum? Num quando eximium hoc cimelium pictum eſt, in obſcuro erat, qua quiſque epiſcopus Veronenſis ætate vixiſſet? Nemo id mihi perſuaſerit. Quamquam enim certo ſtatuere non liceat, quæ ſit ejus picturæ antiquitas, ab iis tamen temporibus remota non videtur, quibus ſolemnis illa *nominum recitatio*, ut a S. Innocentio I. dicitur (*a*), in uſu erat, ideſt ſacra diptycha in divini myſterii celebratione legebantur, qua de re conſulendus Martene, aliique rerum liturgicarum ſcriptores. Facillime igitur qui harum imaginum pingendarum auctor fuit, ſucceſſionem epiſcoporum Veronenſium ex ſacris diptychis cognoſcere poterat, quæ etiam fortaſſe alicubi picta apud Veronenſes exſtabat, ex veteri illa conſuetudine pingendi palam imagines epiſcoporum cujuſque eccleſiæ, quam ſupra indicavimus. Ut igitur nullus dubito, quin, qui in caſula Claſſenſi picti erant Veronenſes epiſcopi, ſuum quique locum tenerent, ita nihil eſt optandum magis, quam, ut eum ipſum ordinem detegere liceat, quem ibi habebant; eodem enim ordine perpetuam eorum ſucceſſionem procedere perquam credibile eſt. Et ſane cum in altero ex noſtris fragmentis (*b*) *Zenoni* cohærentem videamus *Agapitum*, atque huic, ex Rubei deſcriptione, proximum fuiſſe

conſtet

(a) *Innoc. I. ep. ad Decentium Eugub. tom.* 1. *epiſt. Summor. Pontific. col.* 855. *edit. P. Couſtant.*

(b) *Tab.* 1. *n.* 11.

conſtet *Lucium*, tum *Siabrinum*, dein *Lupinum* (*a*), primis illis octo, quorum diſtributionem ad Rhythmum Pipinianum, quaſi ad lydium lapidem, exegimus, quatuor hoſce fas erit adjungere; neque enim impetrare a me ipſo poſſum, ut in octo primis, iiſdemque antiquioribus, ſucceſſionis ordinem religioſe ſervatum credam, neglectum, & deſertum in iis, qui proxime ſequuntur, quorum minor eſt antiquitas. Habemus igitur non octo ſolum, ut ante ex Rhythmo Pipiniano, ſed duodecim Veronenſes epiſcopos, ni mea me ratio fallit, ſecundum temporis rationem diſtributos, de quibus nulla videtur eſſe poſſe controverſia.

V.

Superſunt epiſcopi tres & viginti, in tres veluti manipulos diſcreti. Quatuor erant in caſulæ dorſo extremo infra manum *Petronius*, *Montanus*, *Innocentius*, & is cujus imagine ſuperſtite, nomen deletum eſt. Hos vides expreſſos in uno ex fragmentis, quæ ſuperſunt (*b*). Octo per humerum ſiniſtrum a dorſo in pectus porrigebantur *Germanus*, *Felix*, & qui ad *Juniorem* uſque ſequuntur, ex quibus quinque adhuc conſpicere licet in tertio fragmento caſulæ noſtræ, cum nomine etiam ſexti, cujus imago periit (*c*). Reliqui ſunt unedcim, qui ante pectus decurrebant ad pedes uſque, quorum primus eſt *Petrus*, *Sigibertus* extremus (*d*). Sed quam tandem rationem inibis, ad ſuum cuique locum rite tribuendum? Dicam paucis. Quatuor illos, quos hic primo nominavi, ceteris præmittam, ita ut, qui ex eo numero primus eſt *Petronius*, *Lupino* ſubjiciatur; tum ſequantur octo illi, qui in *Juniore* deſinunt. Agmen claudent undecim reliqui, quorum poſtremus eſt *Sigibertus*.

V I.

Pendet autem univerſa hæc diſtributio, ne quis temere confictam putet, partim ex eo duplici canone, quem paulo ante conſti-

(a) *Vid. Tab.* II.
(b) *Tab.* I. *n.* I.
(c) *Tab.* I. *n.* III
(d) *Tab.* III

conſtitui, partim ex certa ætate *Junioris*, & *Sigiberti*. *Juniorem* enim in comperto eſt, æqualem fuiſſe S. Gregorio M., fuit enim ex eorum epiſcoporum numero, qui libello ſupplici ad Mauritium imperatorem ſubſcripſerunt (*a*), appellantes a legitimo S. Gregorii M. judicio in cauſa trium capitulorum; eo nimirum pertinaci ſchiſmate implicitus, quod epiſcopos patriarchæ Aquileienſi ſubjectos diu a communione Romanæ Eccleſiæ ſeparavit. *Sigibertum* vero hucuſque a catalogis epiſcoporum Veronenſium, mihi notis, exulantem reſtituit Jo. Baptiſta Biancolinus ex veteri charta, ab ipſo edita (*b*), quæ cum data ſit *die* XV. *menſis Magii, regnante excellentiſſimo viro, adque piiſſimo dom. Ratchis rege, anno regni ejus primo, per indictione duodecima*, pertinet procul dubio ad annum DCCXLIV. Rachis enim anno DCCXLIII. ad exitum properante, Langobardorum regnum obtinuit, ut demonſtravit Bacchinius (*c*). Si ergo in caſula Claſſenſi non alii, quam Veronenſes epiſcopi, iidemque juxta ſucceſſionis ordinem, picti erant, illud neceſſario conſequitur, *Juniorem* cum ſeptem reliquis una connexis, præmittendum eſſe undecim illis, quorum poſtremus eſt *Sigibertus*.

VII.

Reſtant quatuor illi *Petronius*, *Innocentius*, *Montanus*, & is, cujus nomen detritum eſt, quibus nullo ſatis certo indicio conſtat, qui locus ſit aſſignandus. Si quid tamen conjecturis fidendum ſit, hunc epiſcoporum quaternionem crediderim inter primos duodecim, quibus jam certa ſedes affixa eſt, & octo iſtos, de quibus modo dicebam, interſerendum eſſe, ita ut *Lupino*, *Petronius* ſucceſſerit, & reliqui tres deinceps. A ſancto enim *Zenone*, qui poſt medium ſæculum IV. floruit, ad *Juniorem* uſque, quem vixiſſe conſtat Gregorii Magni temporibus, anni, ut minimum CCXX. interceſſerunt; a *Juniore* autem ad *Sigibertum* vix anni CXL. fluere potuerunt. Æquiſſimum igitur eſt, ut majori temporis intervallo plures, minori pauciores epiſcopos tribua-

(a) *Apud Baron. in append. ad tom. jx.*
(b) *Biancolin. delle Chieſe di Verona Lib. ij. pag.* 400.
(c) *Bacchin. in Agnel. P. ij. pag.* 395.

tribuamus. Secus autem accideret, ſi quatuor illos *Petronium*, *Innocentium*, *Montanum*, & eum, cujus nomen intercidit, poſt *Juniorem* figeremus. Accedit quod, poſt quartum illum, extremam caſulæ oram occupantem, cujus nomen ignoramus, ſatis probabile eſt, interruptam eſſe ſeriem epiſcoporum, ut ſupra indicavi (*a*); hæc autem lacuna in hunc locum egregie quadrat, nec in alium commode transferri poteſt. Stat igitur in eum modum, quem diximus, diſtribuendos eſſe epiſcopos, in caſula Claſſenſi expreſſos, quorum propterea hic ordo erit.

I.	EUPREPIUS.	*Floruit medio circiter ſæculo* III.
II.	DIMIDRIANUS.	
III.	SIMPLICIUS.	
IV.	PROCULUS.	*Fuit initio ſæculi* IV.
V.	SATURNINUS.	
VI.	LUCILLUS.	*Sedit inter PP. concilii Sardicenſis.*
VII.	GRICINUS.	
VIII.	ZENO.	*Floruit poſt medium ſæculum* IV.
IX.	AGAPITUS.	
X.	LUCIUS.	
XI.	SYAGRIUS.	*Idem videtur, qui Rubeo* SIABRINUS.
XII.	LUPINUS.	*Idem forte, qui in catalogis* LUPICINUS.
XIII.	PETRONIUS.	
XIV.	INNOCENTIUS.	*In archetypo* INNOCENCIUS.
XV.	MONTANUS.	
XVI.	- - - - - - - - - - -	
XVII.	GERMANUS.	
XVIII	FELIX.	
XIX.	SILVINUS.	
XX.	THEODORUS.	*Rubeo* THEODOMUS.
XXI.	CONCESSUS I.	
XXII.	VERECUNDUS.	
XXIII.	SENATOR.	
XXIV.	SOLATIUS.	*Deerat in caſ. Claſ. utpote ſchiſmaticus.*
XXV.	JUNIOR.	*S. Gregorio M. coævus.*
XXVI.	PETRUS.	

XXVII.

(a) *Cap. iv. §. iij.*

XXVII. CONCESSUS II.
XXVIII. MAURUS.
XXIX. ROMANUS.
XXX. ARBORIUS.
XXXI. VALENS.
XXXII. CLEMENS.
XXXIII. MODESTUS.
XXXIV. DOMINICUS. *Idem qui in catalogis* PATERNUS.
XXXV. ANDREAS.
XXXVI. SIGIBERTUS. *Vivebat anno* DCCXLIV.

CAPUT VII.

I. De nonnullis epiſcopis ſeorſim aliqua. EUPREPIUS, DIMIDRIANUS, SIMPLICIUS ſæculo Chriſti tertio non antiquiores. II. PROCULUS initio ſæculi quarti affigendus, tum SATURNINUS, dein LUCILLUS poſtea GRICINUS, demum ZENO. STAGRIUS S. Ambroſio æqualis. III. Idem ZENONIS ſucceſſor vulgo habitus, fortaſſe non recte. IV. SIABRINUS a Rubeo dictus, idem ac STARGIUS. V. Nec ZENONIS epiſcopatus adeo diutinus, ut aliquibus videtur, nec ſat certa STAGRII ætas. VI. De LUPINO, ſeu LUPICINO, PETRONIO, & aliis. GAUDENTIUS fortaſſe Veconenſis potius, quam Veronenſis. VII. SERVULUS etiam, ſive SERVIDEUS, non ſatis certo Veronenſibus aſſertus. SOLATIUS extra communionem catholicam mortuus. JUNIOR e ſchiſmate ad unitatem eccleſiæ redux. VIII. IX. Epiſcopi plures Veronenſibus catalogis additi, plures expuncti. PATERNUS ex male intellecta epigraphe erutus. DOMINICUS, ſeu DOMNICUS indidem reſtitutus. X. Siglarum V̄B. vera lectio. Epiſcopi beatiſſimi appellati. Noſtri Ravennates etiam ter beatiſſimi. XI. Vetus inſcriptio Claſſenſis, & titulus ſepulchralis THEODORI archiepiſcopi. XII. Inſcriptio Veronenſis, in qua pro PATERNO, legendum PATER NOSTRO. XIII. Ea lectio variis conjecturis firmata. XIV. ANDREAS, & SIGIBERTUS omnium poſtremi in caſula Claſſenſi.

 EN igi-

I.

EN igitur non contemnendam ſeriem Epiſcoporum Veronenſium, non pro libito confictam, ut fere eſt in vulgatis catalogis, ſed ex ſacro diptycho, in caſula Claſſenſi picto, expreſſam. Tale aliquod monumentum ſuæ Veronenſis eccleſiæ optabat clariſſimus Maffejus, Novarienſibus invidens, quod vetus diptychum integerrimum habent, & Aquilejenſibus, apud quos catalogi abſolutiſſimi epiſcoporum eſſe dicuntur (*a*). Utinam noſtrum hoc diptychum æque integrum, & incolume ad nos perveniſſet. Sed num propterea totum corpus abjiciendum, quod membro aliquo mancum, & mutilum eſt? Primus hic occurrit *Euprepius*, quemadmodum & in ceteris catalogis, & quod caput eſt, in Rhythmo Pipiniano, ut nullum eſſe dubium poſſit, quin is habendus ſit eccleſiæ Veronenſis primus antiſtes. Sed tamen nec quando vixerit, nec quamdiu epiſcopatum geſſerit, exploratum eſt. Nam quod aliqui ſcripſere, *Euprepium*, cum fuiſſet Chriſti Domini diſcipulus, juſſu, mandatoque divi Petri, a quo epiſcopus inauguratus eſſet, Veronam veniſſe, eamque eccleſiam fundaſſe, hæc merito inter fabulas ablegantur. Qui enim hæc in vulgus edidere, inſana illa prurigine laborabant extollendi eccleſiarum ſuarum origines ad apoſtolorum ætatem, quo vitio multi ſcriptores olim erant infecti. Sed hæc perſuaſio, quæ multis jam inſederat, ubi in lucem prodiit Rhythmus Pipinianus, paulatim refriguit, ac tandem, apud cordatos ſaltem homines, & æquos veri amatores plane extincta eſt. Cum enim *Proculus*, epiſcoporum Veronenſium quartus, & *Lucillus* ſextus, & *Zeno* octavus, ſæculo quarto vixerint: *Proculus* quidem ſub ejus ſæculi initium (*b*): *Lucillus* autem circa medium ſæculum, ideſt tempore concilii Sardicenſis, cui interfuit (*c*): denique *Zeno* aliquanto poſt illud tempus, ut mox oſtendam; eo fit *Euprepium*, *Dimidrianum*, & *Simplicium* ſæculo III. floruiſſe, & cathedram Veronenſem ante illud

(a) *Maffei Iſtoria di Verona l. xj. col.* 341.

(b) *Conſule Acta Ss. Firmi, & Ruſtici, apud Maffejum append. hiſtor. diplom.*

(c) *Labbe Concil. tom. ij. pag.* 687. *edit. Venet.*

te illud ſæculum, & fortaſſe admodum adultum, non habuiſſe initium.

II.

Vix igitur ultra medium ſæculum III. efferendus eſt *Eu-prepii* epiſcopatus, cui, labente eo ſæculo, *Dimidrianus*, eique ſucceſſerit *Simplicius*, tum *Proculus*, quem poſt ſæculi IV. initium excepit *Saturninus*, & hunc *Lucillus*, qui, anno CCCXLVII. ſynodo Sardicenſi interfuit (*a*), & diu etiam poſt illud tempus vitam protraxit; anno enim CCCLVI. tamquam adhuc vivus allegatur a S. Athanaſio, ut ſcite obſervatum eſt a fratribus Balleriniis (*b*). *Lucius ab Italia de Verona*: Ita ſubſcribit actis ſynodi Sardicenſis apud Labbeum (*c*). At a S. Athanaſio in epiſtola ad Conſtantium *Lucillus*, non *Lucius* appellatur. *Lucillo Gricinus* ſucceſſit, doctor egregius in Rhythmo Pipiniano vocatus, eique tandem *Zeno*, & ſanctitate, & ſcriptis celeberrimus, cujus epiſcopatus initium iidem Ballerinii fratres circa annum CCCLXII. (*d*), idque ob conjecturas non contemnendas, obitum vero ejuſdem ſanctiſſimi epiſcopi anno circiter CCCLXXX. contigiſſe exiſtimant. Sic autem rationes ſuas ineunt. *Lucillus* circa annum CCCLVI. adhuc erat in vivis, aut certe a S. Athanaſio vivus eo anno cenſebatur. *Lucillo* ſucceſſor datus eſt *Gricinus*, ut palam fit ex Rhythmo Pipiniano, & nunc etiam ex noſtro diptycho. Quod ſi *Gricino* quadriennium, aut quinquennium tribuas, propius accedes ad annum CCCLXII. unde epocham epiſcopatus S. *Zenonis* ducendam putant. Hujus vero tranſitum ad ſuperos circa annum CCCLXXX. ideo maxime accidiſſe exiſtimant, quod pro comperto ſit, *Syagrium*, *Zenone* obeunte, cathedram Veronenſem obtinuiſſe. *Syagrius* vero epiſcopatum Veronenſem geſſit, vivente S. Ambroſio, clariſſimo Mediolanenſium antiſtite, ut conſtat ex duplici epiſtola Ambroſii ipſius ad *Syagrium*, quæ ſcripta quidem cenſetur ab eruditiſſimis monachis S. Mauri, editoribus operum S. Ambroſii, anno

(a) *Labbe loc. cit.*
(b) *Ballerin. diſſert. j. in Oper. S. Zenon. c. iij. §. iij. p. lix.*
(c) *Ap. Labbe loc. cit.*
(d) *Ballerin. loc. cit. p. lvj.*

anno CCCLXXX., at clariſſimi Ballerinii aliquanto ſerius judicant.

III.

Sed hoc præcipuum iſtius opinionis fulcrum, non ſatis firmum videtur. Nam Ambroſio ſupparem fuiſſe *Syagrium*, nemo in dubium vocaverit, at *Zenonis* obitu ſedem Veronenſem vacuam, a *Syagrio* occupatam, non video qua ratione defendi poſſit. Ex epiſtolis certe Ambroſii ad *Syagrium* nihil tale concludes. Improbaverat Ambroſius præceps *Syagrii* conſilium, qui abſque ulla forma legitimi judicii, Indiciam Virginem, velo jam a *Zenone* donatam, primo quaſi ſuſpectam ſtupri, ab obſtetrice inſpiciendam decreverat, tandem uti conſciam ejus delicti damnaverat. *Tu autem*, inquit, *ſine alicujus fratris conſilio, hoc judicium tibi ſolus vendicandum putaris, in quo tamen ante judicium præjudicium feceris, ut puellam* Zenonis *ſanctæ memoriæ judicio probatam, ejuſque ſanctificatam benedictione, poſt tot annos, ſine auctore criminationis, ſine accuſatore, ſine profeſſore delationis, in periculum reatus deducendam arbitrarere &c* (*a*). Adeo non evincitur hoc Ambroſii teſtimonio, quod unum in hanc rem afferri poteſt, *Syagrium*, obeunte *Zenone*, eccleſiæ Veronenſi paſtorem datum eſſe, ut potius hinc appareat, potuiſſe unum, & fortaſſe etiam alterum epiſcopum inter *Zenonem*, & *Syagrium* ſediſſe. Quid enim? Nonne ea Ambroſii verba demonſtrant Indiciæ cauſam, apud *Syagrium* agitatam, annis multis, poſtquam *Zenonis ſanctæ memoriæ judicio probata, ejuſque benedictione ſanctificata*, hoc eſt ſacro virginitatis velamine donata fuerat? Finge animo Indiciam, extremis annis *Zenonis* virginem conſecratam, primis *Syagrii* condemnatam. Undenam deduces *tot* illos *annos*, quos narrat Ambroſius, inter ejus benedictionem, & ferale *Syagrii* judicium interceſſiſſe, niſi quis alius inter *Zenonem*, & *Syagrium* Veronenſi eccleſiæ præfuerit? Nihil eſt igitur, quod nos adigat ad *Syagrium Zenoni* ſubjiciendum, quem abſque ulla abſurditate cogitare poſſumus, annis multis poſt *Zenonis* obitum, ad epiſcopatum Veronenſem evectum fuiſſe.

Quor-

(a) *S. Ambroſ. Claſſ.* I. *epiſt.* V. *juxta edit. Pariſ.* 1690.

I V.

Quorſum hæc petineant, nemini obſcurum eſſe poteſt. In indiculo enim epiſcoporum Veronenſium, quem in caſula Claſſenſi perennantem paulo ante dedi, *Zenonem*, & *Syagrium Agapitus*, & *Lucius* intercipiunt. Id non temere factum eſt. *Agapitum* enim a *Zenone* divelli non poſſe conſtat; etenim in altero ex fragmentis caſulæ Claſſenſis *Zenoni* cohærentem, & conjunctum videmus *Agapitum* (*a*), ad quem quidem epiſcopum adſtruendum, antiqua etiam inſcriptio ficta eſt, ut obſervat clariſſimus Maffejus (*b*). Sed is tamen vana ejuſmodi commendatione non eget, poſt detecta caſulæ noſtræ fragmenta. Huic porro ſubnectendum eſſe *Lucium*, ex Rubeo accipimus, qui Lucio tandem *Siabrinum* ſubjicit. *Siabrinum* hunc, ipſum ego *Syagrium* puto. Nam primo nihil vetat, quominus inter *Zenonem*, & *Syagrium*, unum & alterum epiſcopum locare liceat, ut ante demonſtravi. Deinde nec *Syagrius* alibi in noſtra caſula Claſſenſi, nec ſimile aliud nomen occurrit, quod pro *Syagrio* ſuſpicari liceat a Rubeo obtruſum, nec *Siabrini* nomen unquam auditum eſt inter epiſcopos Veroneſes, *Syagrium* vero per id tempus, quo *Siabrinus* iſte in vivis eſſe potuit, in cathedra Veronenſi ſediſſe, certum, & exploratum eſt. *Syagrius* vero, vel *Siagrius*, uti fortaſſe in caſula Claſſenſi pictum erat ejus epiſcopi nomen, non multum abludit a *Siabrinus*, quem nobis hoc loco Rubeus commendat. Qui autem, ubi *Sanctus Firmus*, & *Theodorus*, & *Dimidrianus* legendum fuerat, monſtroſa hæc verba conflavit, *Eſcirmus*, *Theodomus*, & *Dimilianus*, eum nemo miretur, legitimum *Syagrii*, vel *Siagrii* nomen, in *Siabrinum* vertiſſe. Eo autem facilius in eſxcribendo *Syagrii*, vel *Siagrii* nomine allucinari potuit Rubeus, quod ſecundum ejus nominis elementum G, ſi ad eum modum pictum erat, quo in *Gricini*, & *Agapiti* nominibus, obſervatori non admodum perſpicaci, & ſolerti, qualem hic ſe prodidit Rubeus, non prorſus diſſimile a litera B, videri potuit. Videto laciniam ſecundam caſulæ noſtræ, in tabu-

(a) *Tab.* 1. *n.* 11.
(b) *Maffei Iſtoria di Verona l. viij col.* 214.

in tabula prima expreſſam, & in ea *Gricini*, & *Agapiti* nomina, ad eorum protomas appoſita.

V.

Hæc ſi vera ſunt, ut mihi certe videntur, *Zenonis* epiſcopatus intra arctiores terminos eſt redigendus, quam qui a clariſſimis Balleriniis definiti ſunt. De *Syagrii* vero ætate nihil aliud ſtatui poteſt, niſi fuiſſe illum S. Ambroſio Mediolanenſi æqualem, propter duas illas epiſtolas in cauſa Jndiciæ virginis, quas ſupra commemoravi. Nam eas epiſtolas anno CCCLXXX., vel circa eum annum ſcriptas fuiſſe, nulla certa ratione demonſtrari poteſt, ut vel ipſi operum S. Ambroſii editores accuratiſſimi ingenue fatentur.

VI.

Syagrium ſequitur *Lupinus*. Ita a Rubeo dicitur. Ego *Lupicinum* malim, quem inter ſanctos eccleſiæ ſuæ paſtores multis abhinc ſæculis publica veneratione colunt Veronenſes, ut ex Maffejo diſcimus (*a*). De *Petronio*, *Innocentio*, & *Montano* nihil præter nuda nomina habemus, ſi *Petronium* excipias, cujus ſermonem *in natale S. Zenonis*, haud ita pridem ex antiquo codice edidit idem clariſſimus Maffejus (*b*), qui *Petronium* vixiſſe putat ſexto ſæculo, vel non multo ſerius. At ſi quid fidendum eſt huic meæ epiſcoporum Veronenſium diſtributioni, vix licebit *Petronii* epiſcopatum citra medium ſæculum v. adducere. Poſt *Montanum* non unius modo epiſcopi nomen, ut in fragmentis noſtris apparet, ſed plurium, opinor, & nomina, & imagines perierunt. Atque hic locum habuiſſe crediderim *Gaudentium*, *Maximum*, & *Valentem*, quos fortaſſe non licet ex albo antiſtitum Veronenſium expungere. Ac de *Valente* quidem explorata res eſt; ejus enim memoriam commendat inſignis inſcriptio, ad ejus tumulum poſita, quam Panvinius olim, & Gruterus minus correctam, poſtmodum autem Maffejus, aliique emendatiſſimam ediderunt. Hinc palam fit, S. *Valentem* deceſſiſſe SUB D VIII. KAL. AUGUSTAS PC LAMPADI ET ORESTIS VVCC IND VIIII die ſcilicet

(a) *Maffei Iſtor. di Verona l. xj.*
(b) *Maffei Oſſervazioni Letterar. tom. vj. col. 232.*

licet quinto, & vigeſimo Julii anno DXXXI. De *Maximo*, & *Gaudentio* non perinde eſt. *Gaudentium* enim ideo maxime clariſſimus Maffejus epiſcopis Veronenſibus adnumerat, quia actis concilii Romani, anno CDLXV. celebrati, ſubſcriptus legitur. At unus eſt codex Caſinenſis, qui *Gaudentium* Veronenſem habeat. Reliqui, & quidem, Labbeo judice, emendatiores, ex bibliotheca Vaticana, ad quorum fidem Harduinus, & ex Harduino Labbeus, acta illa vulgavit, non Veronenſem habent, ſed Veconenſem. Eſt autem Veconenſis, ſive Beconenſis, juxta promiſcuum ſcilicet V & B uſum, minime inauditum eccleſiæ nomen. *In tribus eccleſiis noſtri concilii, ideſt Beconenſi, Tiburienſi, & Auguſtana, Galliarum epiſcopi conſtituerunt ſacerdotes (a)*: Ita ad Mauritium imperatorem ſcribunt epiſcopi ſchiſmatici, Aquilejenſi metropolitano ſubjecti, ad annum DXCI. Si eam igitur ſubſcriptionem unice conſideres, non eſt cur Veronenſi potius, quam Beconenſi eccleſiæ *Gaudentium* adſcribere oporteat. Sed favet *Gaudentio* Veronenſi Joannes Manſionarius, qui inter ſanctos epiſcopos, quorum corpora Veronæ ad divi Stephani ætate ſua quieſcebant, Gaudentium numerat. Vivebat auctor iſte XIV. æræ chriſtianæ ſæculo, ejuſque teſtimonium afferunt fratres Ballerinii in animadverſionibus ad tractatum S. *Zenonis* XLIII. libri II. Ejus auctoritatem poſtea perpendam, quæ tanti non eſt, ut non relinquat exceptioni locum. Maximi cauſam meliorem facit Maffei auctoritas (*b*). De eo pauca dicam capite ſequenti.

VII.

Eſſet hic locus *Servulo*, ſeu *Servideo* tribuendus, utroque enim nomine alicubi vocitatur epiſcopus, qui ſub initium VI. ſæculi eccleſiam Veronenſem tenuiſſe dicitur. Subſcripſit hic Romanæ ſynodo ad annum DIV. ſub nomine *Servidei Veronenſis epiſcopi*, & anno etiam DI. ſed apud Juſtellum *Ferenenſis* dicitur, & alicubi etiam *Verenenſis (c)*. Quare niſi quod aliud minime ambiguum monumentum emergat, hujus epiſcopi ſedem

I certo

(a) *Apud Baron. append. ad tom. ix. annal. eccleſ.*
(b) *Maffei Iſtor. di Verona l. xj. col.* 341. *&c.*
(c) *Labbe tom. v. col.* 515.

certo ſtatuere non licebit. *Germanus*, & qui poſtea deſcripti ſunt ad *Verecundum* uſque, eodem ordine picti erant in caſula Claſſenſi, ut palam ſit ex fragmento, quod ſupereſt (*a*). *Verecundo Senator* ſubjicitur, huic autem *Solatius*, in caſula Claſſenſi prætermiſſus, eo quod extra communionem catholicæ eccleſiæ obierit. Anno DLXXIX. interfuit ſynodo Gradenſi cum ceteris ſchiſmaticis, trium capitulorum defenſoribus (*b*). Huic *Junior* ſucceſſit, quem, quia conſtat in eodem luto hæſiſſe, ut ſupra dictum eſt, propterea non dubitamus aſſerere, *Solatium* in eo ſchiſmate obiiſſe, quod diu eccleſiam laceravit, in quo comprimendo diu multumque inſudavit S. Gregorius M. At *Juniorem* ex eorum epiſcoporum numero fuiſſe, qui ſchiſmate relicto, ad eccleſiæ unitatem reverſi ſunt, dubitare non poſſum, cum eum video ceteris catholicis epiſcopis, in caſula Claſſenſi depictis, adjunctum; nefas enim fuiſſet, ſchiſmaticum epiſcopum catholicis ſociare, præſertim in ornatu ſacræ veſtis, cujus primus, & potiſſimus uſus eſſet in divini myſterii celebratione. Cardinalis Noriſius in diſſertatione hiſtorica de ſynodo quinta plures memorat epiſcopos, qui cum diu in eo ipſo ſchiſmate fuiſſent, tandem reſipuerunt, nec dubitat, quin multo etiam plures fuerint, quam qui ab ipſo nominantur (*c*). Igitur ex eorum numero habendus eſt *Junior*, quod ante hoc tempus neminem non latebat.

VIII.

A *Juniore* ad *Paternum* fatetur clariſſimus Maffejus nullius epiſcopi Veronenſis certum monumentum extare (*d*). Sed *Paternus*, meo judicio, nomen inane eſt, ex falſa lectione cujuſdam antiquæ inſcriptionis enatum, ut mox oſtendam, in cujus locum ſubſtituendus eſt *Dominicus*, ſive *Domnicus*, quem aperte indicat illa ipſa inſcriptio. Sunt autem a *Juniore* ad *Dominicum*, ſive *Domnicum* epiſcopi octo, noti nunc primum nomine, & certo ſucceſſionis ordine, antea prorſus ignoti. Sed in vulgatis

(a) *Tab.* I. *n.* III.
(b) *Noriſ. de* V. *ſynod. c. ix. §. iv.*
(c) *Noriſ. loc. cit.*
(d) *Maffei Iſtoria di Verona lib. xj. col.* 338.

gatis catalogis hic mira confuſio, quod neceſſe eſt, ubi certa deſunt monumenta. Nuperrimus Biancolinus a *Joanne Juniore*, ſic enim noſtrum *Juniorem* appellat, ad *Paternum*, novem epiſcopos numerat, *Senatorem*, *Andronicum*, *Maurum*, *Joannem*, *Manium*, *Moderatum*, *Silvinum*, *Servulum*, & *Lucidium*, omnes ſanctitatis nota inſignes, & quod magis mirere, quaſi in re certiſſima, ſuum cuique obitus diem, & annum aſſignat, quod & in reliquis epiſcopis facit, auctores non bonos, qui ante ſcripſerunt, bona fide ſecutus. Contra Ughellius *Juniori Paternum* ſubjicit, ac ne unum quidem epiſcopum inter hoſce duos medium collocat. At ſi quis ante hoc tempus Biancolinum cum Ughellio commiſiſſet, Ughellium opinor futurum fuiſſe ſuperiorem; præſtabat enim ingentem lacunam a *Juniore* ad *Paternum*, ideſt ad *Dominicum*, qui *Paterni* loco nominandus fuerat, relinquere, quam homines vel ignotos, vel prorſus incertæ ætatis, eo intrudere.

IX.

Inter eos epiſcopos, qui ſunt a *Juniore* ad *Dominicum*, ſive *Domnicum*, *Valens* occurrit, quem oportet alterum eſſe ab illo, qui anno DXXXI. deceſſit. Cum enim *Junior*, S. Gregorio M. ſuppar, ſub finem ſæculi VI. vixerit, & fortaſſe VII. attigerit, qui ſequuntur, ad ſæculum ipſum VII. pertinent, eoque ad exitum properante *Valentem* hunc alterum ſediſſe crediderim, tum *Clementem*, qui fortaſſe ſæculum clauſit, cui circa initium ſæculi VIII. ſucceſſerit *Modeſtus*, atque huic tandem *Dominicus*, ſeu *Domnicus*, qui ſedem Veronenſem tenuit, regnante Luitprando Langobardorum rege. Prodit hunc epiſcopum vetus inſcriptio ſæpius jam vulgata (*a*), quam inutile non erit, hic rurſum protuliſſe. Inſculpta eſt columnæ marmoreæ, nunc in muſeo Veronenſi aſſervatæ, quæ olim erat in eccleſia S. Georgii in valle Pullicella, ciborio ſupra ejus eccleſiæ aram ſuſtinendo deſtinata. Scilicet ea ipſa inſcriptio eſt, in qua ceteri, qui de epiſcopis Veronenſibus ad hanc diem ſcripſerunt, ſe vidiſſe putarunt *Paternum* epiſcopum, qui propterea hoc teſtimonio commenda-

(a) *Maffei Iſtoria di Verona Iſcriz. lxiv. Muſeum Veronen. pag. clxxxj. Ughel. in ep. Veron. Fontanin. diſc. votiv. c. xij. p. 30. &c.*

mendatus, in ſacerrimum illum antiſtitum Veronenſium cœtum contra jus faſque irrepſit. Sed en inſcriptionem ipſam communibus literis expreſſam. Eam videto, ſi lubet, in ſua, Langobardorum ævo digna, barbarie apud Maffejum in Muſeo Veronenſi (*a*), & Biancolinum in eccleſiis Veronenſibus (*b*).

✠ IN N DNI IHV XPI DE DONIS
SCI IVHANNES
BAPTESTE EDI
FICATVS EST HANC
CIVORIVS SVB TEMPORE
DOMNO NOSTRO
LIOPRANDO REGE
ET VB PATERNO
DOMNICO EPESCOPO
ET CVSTODES EIVS
VV VIDALIANO ET
TANCOL PRBRIS
ET REFOL GASTALDIO
GONDELME
INDIGNVS DIACONNVS SCRIP
SI

X.

Antequam demonſtrem, quam inſcite *Paternum* epiſcopum alii ad hanc uſque diem, ex hac inſcriptione in ſuos catalogos induxerint; juvat tantiſper conſiſtere in expendendis notis illis VB, quæ octavo verſu occurrunt. Eas vulgo interpretantur *Venera-*

(a) *Maffei Muſ. Veron. loc. cit.*
(b) *Biancolin. lib. j. pag.* 115.

Venerabili, adſtipulante Cl. Scipione Maffejo (*a*). Ego legere mallem *Viro Beatiſſimo*, ſuffragante inſigni inſcriptione, quæ eſt in templo Claſſenſi; in ea enim ſolutæ leguntur eæ notæ VB, quæ paſſim occurrunt in monumentis devexioris ævi, præſertim cum *Beatiſſimi* titulum, iam inde ab antiquioribus ſæculis, epiſcopis tributum ſciamus, quod & nuperrime demonſtravit Thomas Maria Mamachius Ordinis Prædicatorum ſcriptor eximius (*b*), cujus excellentes libri *originum*, *&* *antiquitatum chriſtianarum* magno auſu incepti, nec minima ex parte jam feliciter perfecti, literariæ, ſeu potius univerſæ chriſtianæ reipublicæ plurimum intereſt, ut pari felicitate abſolvantur. Monachis quoque donatam conſtat hanc appellationem, ut S. Hieronymi, & Bachiarii monachi auctoritate oſtendit vir doctus Franciſcus Florius canonicus Theologus eccleſiæ Aquileienſis, nuperus Bachiarii editor in diſſertatione, quam Bachiarii opuſculis præmiſit (*c*). Noſtri vero Ravennates archiepiſcopi, non ſolum *beatiſſimi*, ſed exaggeratione quadam honoris, *ter beatiſſimi* quandoque dicti ſunt, ut liquet ex titulis funebribus, qui eorum ſepulchris inſculpti leguntur in eodem templo Claſſenſi; ſic enim, ut hoc unum exemplum afferam, Gratioſi archiepiſcopi ſarcophago inſculptum legitur:

HIC TUMU	GRATIOSI
LUS CLAU	SCISSIMI
SUM SERVAT	AC TER
CORPUS	BEATISSI
DN	MI ARCHIEPISCOPI

X I.

Sed en nobilem illam inſcriptionem, quam dixi. Ea eſt in grandi, marmore Pario, literis ſatis elegantibus, prope ſupra morem temporis, quo ſculpta eſt.

IN HOC

(a) *Maffei loc. cit.*
(b) *Mamachius origin. & antiquit. chriſt. l. iv. pag.* 301.
(c) *Fr. Flor. Diſſert. n. v. pag. xlix.*

✠ IN HOC. LOCO. STETIT. ARCA BEATI. APOLENA-RIS. SACERDOTIS
ET CONFESSORIS A TEMPORE. TRANSITUS SUI. USQVE. DIÆ
QVA PER VIRUM. BEAT. MAXIMIANUM. EPISCOPUM. TRANSLATA EST
ET INTRODUCTA. IN BASILICA. QVAM JULIANUS. ARGENTARIUS.
A FUNDAMENTIS. ÆDIFICAVIT. ET DEDICATA. AB EODEM VIRO.
BEATISSM. D. VIII. ID. MAJARUM IND. DUODEC.
OCTIES PC.BASILI. JUN

In hac inſcriptione Maximianum vides VIRUM BEATISSiMum diſerte appellari. Ne quid autem dubii ſuperſit, quin ſiglæ illæ VB idem plane ſignificent, in promptu eſt alia vetus inſcriptio ad tumulum marmoreum Theodori archiepiſcopi, qui VII. ſæculo ad finem vergente obiit, & in eodem templo Claſſenſi tumulatus eſt; in ea ſiquidem duæ ſiglæ V. B. interpunctione diſtinctæ, duabus vocibus ſignificandis ſe deſtinatas eſſe demonſtrant. Ea ſic habet:

✠ HIC REQVIESCIT. IN PACE THEODORUS V. B· ARCIHEPISCOPUS. ✠

XII.

Sed hæc obiter: nunc de *Paterno* videndum, quem numquam habuiſſe locum exiſtimo in illa inſcriptione Veronenſi, in qua pro PATERNO DOMNICO in verſu octavo omnino legendum eſt PATER NOSTRO DOMNICO. Multa ſunt, quæ hanc lectionem efflagitant. Primum eſt, quod *Dominicus* epiſcopus antea ignotus, aliunde jam innoteſcere incipit, nempe ex noſtro

noſtro diptycho, & temporis ratio maxime conſtat. Poſt *Dominicum* enim in noſtro diptycho eſt *Andreas*, tum *Sigibertus*, omnium poſtremus, quem ſupra demonſtratum eſt, Veronæ epiſcopum ſediſſe anno primo Rachis Langobardorum regis, anno ſcilicet DCCXLIV. At Luitprandus, quo regnante fictitius ille *Paternus* ſedebat, regnum Langobardorum tenuit, ab anno DCCXII. ad annum uſque DCCXLIII. Optime igitur quadrat in Luitprandi regnum *Dominici* epiſcopatus, quem diptychum noſtrum prodit. Alterum, quod non patitur, ut antiquam lectionem ejus inſcriptionis retineam, eſt lineola illa, quæ extremis duabus literis octavi verſus appicta eſt in hunc modum NO, quæ profecto vocem breviatam, & compendio ſcriptam indicat. At quæ tandem vox ibi latere poteſt, niſi ea, quam dixi? Neque me terret ſolœcus ille PATER NOSTRO. Pejus enim peccatur contra grammaticorum canones verſu tertio, quarto, & quinto, ubi eſt illud, quod Priſciano bilem moveat, EDIFICATUS EST HANC CIVORIUS. Imo tota hæc inſcriptio ejuſmodi eſt, ut nihil in ea minus quærendum ſit, quam grammaticorum canones. Quod ſi quid ibi erratum eſt venia dignum, iſtud ipſum eſt; in duabus enim his vocibus PATER NOSTRO Italicam linguam, quaſi vagientem, nullo negotio poſſumus agnoſcere.

XLII.

Sed illud etiam me impellit ad deſerendam priſtinam illam lectionem, quod eæ voces *Paterno Domnico* ſimul conjunctæ, nihil boni efficiant. Quid enim *Paternus Domnicus*? Mihi neſcio quid monſtri videtur. Nam ſi epiſcopus iſte barbaro quodam nomine Gotico, vel Langobardico, qualia tunc in uſu erant, dictus eſſet, non irem inficias potuiſſe illum humaniore alio nomine aſperitatem gentilitii nominis emollire, quæ res exemplis non caret. At *Paterni* nomen humaniſſimum eſt, & epiſcopo digniſſimum. Non erat igitur illud nomen alio aſſumpto corrigendum. Itaque extrudendus commentitius ille *Paternus*, atque in ſuam ſedem, quaſi poſtliminio revocandus *Dominicus*, injuria quondam ejectus: *Dominicus*, inquam, hoc enim eſſe verum ejus epiſcopi nomen exiſtimo, tum quod, auctore Rubeo, ita ſcriptum erat in noſtra caſula diptycha, tum quod

valde

valde veroſimile eſt in ea corruptione linguæ latinæ *Domnico* pro *Dominico* uſurpatum eſſe. Eſt enim *Dominicus* a *Dominus*, at *Domnus* pro *Dominus* uſurpabant, ut apparet ex hac ipſa inſcriptione, ubi verſu quarto eſt DOMNO NOSTRO pro DOMINO NOSTRO, quo ex fonte manarunt illa in antiquis contractuum tabulis frequentia *caſa domnicata*, *ager domnicatus*, *ſylva domnicata*, & cetera de genere hoc. Non eſt igitur mirandum imperitum quadratarium ex uſu quotidiani ſermonis, qui forte tunc invaluerit, pro DOMINICO EPISCOPO ſculpſiſſe in ea columella DOMNICO EPESCOPO, in qua quidem poſtrema voce *Epeſcopo* naſcentem mihi videre videor noſtram vocem Italicam *il Veſcovo*. De *Domni* titulo, & nomenclatura, unde *Domnicus* profluxit, multa nuper collegit V. Cl. Franciſcus Victorius *(a)*, quo vix alterum in conquirendis, & illuſtrandis venerandæ antiquitatis reliquiis feliciorem reperies. Itaque ut *Domnum Apoſtolicum* pro *Dominum Apoſtolicum*, & eccleſiam S. Mariæ in *Domnica*, quæ Romæ celebris eſt, pro *Dominica* dicere amavit ſequior ætas *(b)*, ſic pro *Dominico*, vero hujus epiſcopi nomine, & dici in communi ſermone, & ſculpi potuit *Domnico*.

XIV.

De *Andrea Dominici* ſucceſſore verbum non habeo, quod addam, ſolo enim nomine hic etiam nunc primum ſe agnoſcendum exhibet. De *Sigiberto* jam ſemel & iterum dictum eſt, fuiſſe illum in vivis regnante Rachiſio, ad annum DCCXLIV. Nihil præterea de eo reſcire datum eſt; ſed id tamen plurimi eſt faciendum; hoc enim certo termino ſeries epiſcoporum, qui in noſtro diptycho continentur, rite concluditur, ne errabunda fluctuet, ut neceſſe eſſet, niſi *Sigiberti* ætatem cognitam, & exploratam haberemus.

CAPUT

(a) *Franciſc. Victorius diſſertat. Philolog. pag. 31. &c.*
(b) *Vid. Ciampin. Veter. monim. P. ij. c. xxiij. p. 141.*

CAPUT VIII.

I. Scrupulus evellendus ex traditione eccleſiæ Veronenſis, quæ multos colit epiſcopos, in caſula Claſſenſi prætermiſſos. Horum plures memorat vetus inſcriptio Veronenſis. II. Plures etiam Joannes Manſionarius. Nonnullos denique Rhythmus Pipinianus. III. Sed Rhythmus Pipinianus nobis non adverſatur. IV. Nec ea inſcriptio videtur admodum antiqua. V. Nec magna Manſionarii auctoritas. VI. Notus Joanni Manſionario Rhythmus Pipinianus. VII. Catalogi Veronenſes, undenam adeo corrupti. VIII. Quinam Epiſcopi Veronenſes, antiquo cultu inſignes, ex codicibus liturgicis noti. IX. Quinam iis adjciendi. X. Num ulli epiſcopi, ſanctitatis nota vulgo clari, expungendi. XI. Genuina traditio eccleſiæ Veronenſis minime læſa. Caſulæ Claſſenſis antiquitas. XII. Operis concluſio.

I.

NOn pauca hic afferri poſſent ad univerſam hanc molitionem meam ſubruendam, ſed ea magna ex parte jam occupata ſunt. Unus reſtat ſcrupulus, minime contemnendus. Quid enim? Delendi ne ex albo epiſcoporum Veronenſium quotquot in diptycho Claſſenſi locum non habent? At religio impedit; plures enim ex iis, qui hic deſiderantur, honores divinos obtinent, & coluntur ut ſancti. Neque id heri, aut nudius tertius inſtitutum eſt, antiqua enim poſſeſſione ſe tueri poſſunt. Proſtat vetuſta admodum inſcriptio Veronæ ad divi Stephani, in qua inter ſanctos epiſcopos, ibi quieſcentes, aliqui numerantur, qui abſunt a diptycho Claſſenſi. En inſcriptionem ipſam ex Biancolino (*a*).

(a) *Biancolin. notizie ſtoriche delle Chieſe di Verona l. j. p.* 13.

IN HAC ECCLESIA SCORŪ CONFESSORŪ HUJUS CIVITATIS CORPORA EPISCOPORŪ REQVIESCŪT SCILICET SIMPLICII. PETRONII. INNOCENTII. FELICIS. SALVINI. THEODORI. SENATORIS. PROBI. ANDRONICI. MAURI. ET ECIAM MAME CONFESSORIS. ATQVE VIRGINIS CRISTI VENERABILIS PLACIDIE. ET RELIQUIE DE LIGNO CRUCIS DOMINI. DE CAPILLIS VIRGINIS MARIÆ ET SCI STEPHANI PROTOMARTIRIS ATQ: ALIORUM QVADRAGINTA MARTIRUM. SEU ET CETERORUM INNUMERABILIŪ SCORŪ.

II.

Sunt hic *Probus*, & *Andronicus*, quos in noſtro diptycho fruſtra requires. Sed Joannes Manſionarius, quem ſupra nominavimus, multo etiam plures memorat in hiſtoria imperiali, quæ nunc extat Mſs apud clariſſimum Maffejum. Ex ea doctiſſimi Ballerinii hæc verba attulerunt in animadverſionibus ad tractatus S. *Zenonis* epiſcopi: *Hæc eccleſia* (ſermo eſt de eccleſia S. Stephani) *olim fuit cathedralis eccleſia Veronenſis, in qua jacent corpora SS. MM. quadraginta, qui ſub Diocletiano in eadem urbe paſſi ſunt..... Jacent etiam ibi & corpora ſanctorum pontificum ejuſdem urbis Simplicii, Petronii, Iinnocentii, Senatoris, Felicis, Gaudentii, Probi, Andronici, Salvini, Mamæ, Mauri, Joannis, Alexandri, & Moderati, & aliorum plurium* (a). En tibi *Gaudentium*, *Probum*, *Andronicum*, *Mammam*, *Joannem*, *Alexandrum*, & *Moderatum* a caſula Claſſenſi extorres. Adde Rhythmum Pipinianum, in quo epiſcopi Veronenſes, ad divi Stephani quieſcentes in hunc modum recenſentur:

Ab orien-

(a) *Jo. Manſionar. in hiſtor. Imperial. l. j. pag.* 130. *apud Ballerin. in adnotat. ad tract. S. Zenon. xliij. lib. ij. p.* 247.

Ab oriente habes primum protomartyrem STEPHANUM,
FLORENTIUM, VINDEMIALEM, & MAURUM *epiſcopum*,
MAMMAM, ANDRONICUM, & PROBUM, *cum quadraginta mar-*
Deinde PETRUM, & PAULUM *&c.* (*tyribus*:

En tibi *Florentium*, *Vindemialem*, *Mammam*, *Andronicum*, & *Probum*, in caſula Claſſenſi prætermiſſos. Ad hæc antiquiora monumenta, elenchos epiſcoporum Veronenſium, his ſuperioribus ſæculis concinnatos, adjungere licebit, quorum auctores temere credendum non eſt, fictitios, & imaginarios epiſcopos pro veris, & legitimis venditaſſe. In eorum numero eſt Onuphrius Panvinius, quem hiſtoriæ parentem Scaliger, & Lipſius nuncupare ſolebant, ut monet clariſſimus Maffejus (*a*). Neque eſt, cur monumenta quæras, quibus, in illis elenchis contexendis, uſi ſunt: pauca enim omnino ſuperſunt, cetera mille modis perire potuerunt.

III.

Hæc ſingillatim explicare volui, ne quid diſſimulaſſe viderer. Et erunt fortaſſe, qui tanto auctoritatis pondere, exiſtiment prorſus elidi vim omnem earum conjecturarum, quibus fulcire conatus ſum epiſcoporum Veronenſium ſeriem, a me expoſitam, ab *Euprepio* ad *Sigibertum*. His ego contradicere non auſim; libera ſunt enim hominum judicia, nec ego demonſtrationes geometricas affero, quæ vel ab invitis aſſenſum extorqueant. Spero tamen non defuturos, qui, ſalva religione, putent diptychum hoc meum, partim ex fragmentis antiquioris diptychi, quæ integerrima ſuperſunt, partim ex Rubei narratione, utcumque reſtitutum, & compoſitum, aliquo in pretio habendum eſſe, & vulgatis catalogis anteponendum, ex quibus propterea oportebit plures epiſcopos ſecare, quamquam ſanctitatis nota vulgo inſignes. Ut autem paucis aperiam, quod ſentio, de tot antiquis monumentis, quæ paulo ante commemoravi, dico ea mihi videri partim non bene intellecta, partim etiam recentiora, quam ut, in re tam antiqua, fidem facere poſſint. Monumentum omnium antiquiſſimum eſt Rhythmus Pipinianus, qui, ſi mihi adverſetur, profecto cauſa cadam. Ejus Rhythmi auctori id propoſitum eſt,

K 2 ut Vero-

(a) *Maffei de Hiſtor. Jo. Veron. inter ejus opuſcula eccleſ. pag.* 244.

ut Veronæ civitatis, etiam devexiori ævo florentiſſimæ, laudes celebret. Prolixam ergo laudationem ejus urbis inſtituit, quam, ut undequaque felicem oſtendat, poſt multa de antiqua ejus magnitudine, & opulentia, ethnicæ ſuperſtitionis tempore, deque ejus religione, poſt acceptam Chriſti fidem, cæleſti ſanctorum præſidio eſſe munitam ait ab oriente, occidente, & meridie. Sic ergo canit:

O felicem te Verona, ſic ditata, & inclyta,
Qualibus es circumvallata cuſtodibus ſanctiſſimis,
Qui te defendant, & propugnent ab hoſte nequiſſimo.
Ab oriente habes primum protomartyrem Stephanum *&c.*

Florentium addit, & *Vindemialem*, & reliquos ſupra indicatos. Sunt igitur certa Veronæ urbis munimenta ab oriente *Stephanus*, *Florentius*, & ceteri beati cælites, quos diximus, quorum ſcilicet corpora, vel reliquiæ, in antiquiſſima divi Stephani æde quieſcebant. Sed quis mihi tandem demonſtrabit, eos eſſe numerandos inter Veronenſes epiſcopos? Tales quidem agnoſcit clariſſimus Maffejus (*a*), hujus Rhythmi auctoritate permotus; at unus ibi *Maurus* epiſcopus dicitur, neque is deſideratur in noſtro diptycho. *Florentius* vero, *Vindemialis*, *Mammas*, *Andronicus*, & *Probus*, nec epiſcopi dicuntur, nec quidquam vetat, quo minus totidem martyres, vel confeſſores credantur, quorum reliquiæ, vel corpora etiam, ſi placet, ad divi Stephani condita eſſent. Neque vero ignota ſunt ea nomina in faſtis eccleſiaſticis; etenim in Mrologio Romano, ne fontes magis reconditos adeam, *Florentii* plures, & plures etiam *Vindemiales*, & *Andronici*, & *Probi* martyres, & *Mammas*, ſeu *Mamans*, item martyr, occurrunt. Plures ibi quoque leguntur *Probi* epiſcopi, & confeſſores, nec deſunt etiam *Florentii* aliquot, epiſcopalibus infulis, & confeſſionis gloria illuſtres, quorum ſacra pignora Veronæ, ad divi Stephani, condita eſſe poterant ætate Anonymi Pipiniani. *Florentium* vero, & *Vindemialem*, Tarviſini, tamquam præcipuos ſuæ civitatis patronos, venerantur, & colunt, eorumque corpora ſe poſſidere gloriantur, e Corſica olim advecta, quo tempore ea inſula Saracenorum jugo premebatur, ſeptimo ſcilicet, aut octavo ſæculo, ut doctiſſi-

(a) *Maffei Iſtoria di Verona l. xj. pag.* 341.

doctiſſimo Ruinartio videtur, qui de *Florentio*, & *Vindemiali* non perfunctorie agit in hiſtoria perſecutionis Vandalicæ (*a*). Facillime igitur fieri potuit, ut *Florentii*, & *Vindemialis* corporibus Tarviſium illatis, non minimam eorum partem obtinuerint Veronenſes, & in æde divi Stephani, cum aliis ſanctorum lipſanis, condiderint, atque ita Rhythmi Pipiniani auctor eos jure ac merito inter Veronenſium patronos numerarit.

IV.

Parum igitur momenti eſt in Rhythmo Pipiniano, ad meam hypotheſim labefactandam. Neque vero multo magis eſt mihi metuenda inſcriptio illa ad divi Stephani, cujus antiquitatem aliqui plus æquo extollere videntur. Ego vix antiquiorem crediderim ſæculo XIII. vel XII. Plures enim ibi literarum formæ in oculos incurrunt, quas numquam vidiſſe memini in monumentis paulo antiquioribus. Sunt enim hæc elementa A. D. G. H. M. N. in eum modum conformata, quo fere occurrunt in monumentis XI. XII. vel XIII. ſæculo exaratis, ut videre licet apud Biancolinum, qui inſcriptionem illam graphice expreſſam exbibet (*b*). Neque ortographiæ ratio hic ſervata, magnam ſapere videtur antiquitatem in iis vocibus SIMPLICII. PETRONII. INNOCENTII. Adde, quod initio hujus epigraphes uſitatum inſculptæ crucis auſpicium deeſt. Illud etiam, quod de capillis Deiparæ Virginis adjicitur, haud ſcio, an credibile ſit, locum habere potuiſſe in monumento VIII. aut IX. ſæculi, qualem eſſe hanc inſcriptionem nonnulli exiſtimant. Illud etiam, quod undecimo verſu legitur SEU ET CETERORUM, haud magnam antiquitatem præ ſe ferre videtur. *Seu* enim pro *Et* paſſim antiquitus uſurpatum novimus, at duæ hæ particulæ ſimul poſitæ ineptam imitationem antiquæ locutionis, ni fallor, indicant. Sunt equidem ſingula hæc levia, at ſimul juncta non minimum fortaſſe momentum habent ad perſuadendum. Quod ſi ea inſcriptio ad tam inſignem antiquitatem aſſurgeret, cur tantopere a Rhythmo Pipiniano diſſentiret? Nullus enim hic *Florentius* nullus *Vindemialis*,

(a) *Ruinart. hiſtor. perſec. Vandal. P. ij. c. viij. n.* 12. *& ſeq.*
(b) *Biancolin. l. cit.*

mialis, *Mammas* vero a reliquis epiſcopis nitidiſſime ſecernitur; poſt plura enim Ss. epiſcoporum nomina, additur ET ECIAM MAME CONFESSORIS. Tanta hæc diverſitas quid ſibi velit, neminem non intelligere puto. Interim tamen hinc liquido apparet, *Florentium*, *Vindemialem*, & *Mammam*, in Rhythmo Pipiniano nominatos, nihil commune habere cum epiſcopis Veronenſibus. Dum autem hic *Probum*, & *Andronicum* vides, id argumento eſſe poteſt, inſcriptionem hanc per id tempus eſſe poſitam, cum jam deperditis, vel neglectis veterum epiſcoporum monumentis, eorum ſeries augeri ad libitum cœperat. Id autem facilem errori huic occaſionem præſtare poterat, quod ad divi Stephani, vel corpora, vel inſignes certe Ss. *Probi*, & *Andronici* reliquiæ condebantur, ut ex Rhythmo Pipiniano conjicere poſſumus.. Cum enim plurium quoque antiſtitum Veronenſium lipſana ibi jacerent, pronum fuit, *Probum* & *Andronicum* ex eo numero habere. Atque hoc etiam indicio, ni fallor, inſcriptionem illam minus antiquam eſſe comperimus, quam aliqui exiſtimant; ſi enim tantæ antiquitatis eſſet, cum Rhythmo Pipiniano ſumma eſſe deberet ejus conſenſio.

V.

Videndum nunc de Joannis Manſionarii auctoritate, qui in ſua hiſtoria Imperiali plures numerat epiſcopos, & quidem ſanctimoniæ fama conſpicuos, qui in caſula Claſſenſi deſiderantur; ac multo etiam plures in catalogis a Panvinio, Fainio, Tinto Ughellio, Biancolino, aliiſque fortaſſe editis, afferuntur. Sed vix hæc opponi poſſe exiſtimo, niſi quis notiſſimos hiſtoriæ canones pervertere velit. Quis enim ſcriptorem XIV. ſæculi, qualem fuiſſe novimus Joannem Manſionarium, & catalogos etiam multo recentiores, ad reſtituendam, & ſupplendam antiquiorum antiſtitum Veronenſium ſucceſſionem adhibeat, præſertim contra fidem, & auctoritatem monumenti antiquiſſimi, minimeque ſublestæ fidei, cujuſmodi eſt caſula diptycha Claſſenſis? Enimvero nuperis iſtiuſmodi monumentis, quam parva, aut plane nulla adhibenda ſit fides, intellexere jam docti homines, poſtquam Rhythmus Pipinianus e tenebris emerſit. Accedit magna Joannis Manſionarii diſſenſio a ceteris monumentis. Ut enim vetus

illa

illa inſcriptio, quam modo perpendi, parum conſona eſt Rhythmo Pipiniano, ita Joannes Manſionarius, neque cum Rhythmo Pipiniano, neque cum inſcriptione illa conſentit. Recenſet ille epiſcopos Veronenſes, qui ad divi Stephani quieſcunt, & in his memorat *Probum*, *Andronicum*, & *Mammam*, quos jam dixi immerito intruſos videri in eum numerum; at ſilet *Florentium*, & *Vindemialem*, quorum memoriam ad divi Stephani celebrat Rhythmus Pipinianus. Dein ad *Simplicium*, *Petronium*, alioſque, in inſcriptione illa indicatos, *Gaudentium* addit, *Joannem*, *Alexandrum*, & *Moderatum*, aliunde prorſus ignotos, ita ut, cum vix unum *Probum* epiſcopum ex Rhythmo Pipiniano intelligamus, ad divi Stephani tumulatum, Joannes Manſionarius quatuordecim ibidem depoſitos narret.

VI.

Sed tamen minime diſſimulandum eſt Joanni Manſionario probe cognitum fuiſſe ordinem temporum, quo primi octo epiſcopi Veronenſes floruerunt: *Beatus Zeno epiſcopus, doctor egregius, octavus ejuſdem civitatis epiſcopus. Nam poſt ſanctum Proculum, qui quartus fuit epiſcopus, pontificatum ſuſcepit Sanctus* SATURNINUS, *cui* LUCILLUS *ſucceſſit, poſt quem Sanctus* GRICINUS *doctor, cui Beatus* ZENO *ſucceſſit.* Ita Manſionarius apud VV. CC. Ballerinios fratres in diſſertatione prima ad S. Zenonis opera (*a*). Vides priores Veronæ epiſcopos eodem ordine ab hoc ſcriptore recenſeri, quo in Rhythmo Pipiniano. Adde, quod *Zenonem* vocat *doctorem egregium*, & *Gricinum* item *doctorem*, quod ex Rhythmo ipſo petitum videtur. Cum ergo Joannes Manſionarius ſuam Imperialem hiſtoriam ſcriberet, perierant quidem antiqua diptycha, & genuini catalogi antiſtitum Veronenſium, vel certe ejus diligentiam fugerant, ſed Rhythmus Pipinianus eum non latuit. Cur enim in prioribus octo ne latum quidem unguem ab eo diſcedit, in ceteris vero, & a Rhythmo ipſo, & a veteri illa inſcriptione, quam ſupra dedimus, tantopere diſcordat? Id magno argumento mihi eſt, deperditis, vel neglectis antiquiſſimis, & incorruptiſſimis catalogis, novas, & ſpurias merces eorum loco

(a) *Ballerin. diſſert j. c. iij. §. iij. pag. lvij. in oper. S. Zenon.*

loco in pretio haberi cœpiſſe, quo tempore Joannes Manſionarius ſuam hiſtoriam ſcribebat.

VII.

Sed hæc veterum monumentorum vel jactura, vel neglectus, multo etiam fœdius, poſt Joannem Manſionarium, chronotaxim epiſcoporum hujus nobiliſſimæ eccleſiæ labefactavit. Cum enim ſaltem caput ipſum ejus chronotaxis recte conſtitutum eſſet, prioribus nimirum octo epiſcopis rite collocatis, id etiam poſtea turbatum eſt, & novi catalogi concinnati, quibus locupletandis, & augendis, ad Veronenſes epiſcopos legitimos, qui noti erant, in ea temporum barbarie, haud admodum multos, commentitii plures adjecti ſunt. Itaque *Euprepius*, quem conſtabat primum omnium cathedram Veronenſem tenuiſſe, Petri apoſtoli diſcipulus haberi cœptus eſt, atque ita originem eccleſiæ Veronenſis, quæ medio circiter tertio ſæculo fundata eſt, a temporibus apoſtolicis ducere placuit. Ob eam rem plures epiſcopos comminiſci oportuit, ad immanem illum temporis hiatum, ab apoſtolorum ævo ad medium ſæculum tertium, utcumque replendum, quos ſemel intruſos, numquam expungere licuit ex catalogis Veronenſibus. In hunc modum novis epiſcoporum elenchis, in illa veteris hiſtoriæ ignoratione, compoſitis, pronum fuit aliquos ex eo epiſcoporum numero, qui in elenchos ipſos perperam irrepſerant, progreſſu temporis in faſtis quoque eccleſiaſticis ſedem adipiſci, & ſacro cultu apud Veronenſes, & alibi gentium donari.

VIII.

Poſt Joannem ergo Manſionarium facta eſt ſacris faſtis eccleſiæ Veronenſis tanta hæc acceſſio, ut non jam quatuordecim, ſed duo & viginti dicantur ſancti epiſcopi in eccleſia divi Stephani quieſcere. Univerſim autem epiſcopi Veronenſes ſanctitatis titulo inſignes, & publico etiam cultu donati, numerantur hoc tempore ſex & triginta, quorum memoriam officio eccleſiaſtico celebrat clerus Veronenſis ex decreto ſynodali ad annum MDIII. edito. At qui codices liturgicos eccleſiæ Veronenſis, qui plures ad hanc uſque diem ſuperſunt, non indiligenter excuſſerunt, vix paucos reperere, quibus certo conſtet, cultum

ſanctis

ſanctis debitum in eccleſia Veronenſi antiquitus delatum. Sunt hi *Zeno*, *Proculus*, *Lupicinus*, *Maurus*, *Theodorus*, *Felix*, *Gricinus*, & *Anno*, ſed poſtremus hic, cum vixerit multo poſt *Sigiberti* tempora, locum in noſtro diptycho habere non potuit. Hos omnes in antiquis codicibus liturgicis ejus eccleſiæ memoratos narrat clariſſimus Maffejus (*a*), quibus adjungendum monet *Maximum*, in aliquibus etiam codicibus nominatum. *Valentem* quoque nefas eſt præterire, cujus nomen legimus in pervetuſto Florentinii Mrologio. Sed ad *Maximum*, quod attinet, optandum eſt, ut eruditi Veronenſes etiam atque etiam videant, num iis characteribus polleat, quibus non poſſit epiſcopis Veronenſibus non adjungi. Quod enim *Maximus* quidam Veronæ cultus in antiquis codicibus liturgicis occurrat, certo argumento non eſt, ſi cetera deſint, eum eſſe epiſcopis Veronenſibus adnumerandum, Suſpicionem mihi auget, quod clariſſimus Maffejus eum quodammodo a ceteris ſanctis epiſcopis, quos codices Veronenſes produnt, diſtinguit.

IX.

Præter paucos illos, quos dixi, neque perſpicaciſſimus antiquitatis inveſtigator Maffejus, neque alius, quod ſciam, ullum epiſcopum Veronenſem e tenebris eruere potuit, antiquiore cultu ſpectandum: quod non eo a me dictum volo, quaſi non multo plures fuiſſe exiſtimem, ſed quod eorum memoria temporis longinquitate deleta ſit. Facile enim mihi ſuaderi patiar, pleroſque ex iis epiſcopis, qui primis ſæculis Veronæ fuerunt, poſt ejus eccleſiæ fundationem, ut vitæ ſanctimonia excelluiſſe credendi ſunt, ita poſt mortem, honorem ſuperis debitum apud Veronenſes ſuos obtinuiſſe. Ut autem detecto nuper vetuſtiſſimo kalendario eccleſiæ Neapolitanæ, palam factum eſt, plures epiſcopos ejus eccleſiæ in ſacris ejus faſtis olim habuiſſe locum, qui poſtea iniquitate temporum eo honoris gradu dejecti fuerant (*b*); ita non dubito, quin eamdem jacturam ferre potuerint

L ſacri

(a) *Maffei Iſtor. di Veron. l. xj.*
(b) *Mazoch præfat. in kalend. Neapolit. pag. xvj.*

ſacri faſti eccleſiæ Veronenſis. Quod ſi vera eſt Papebrochii opinio, quam veriſſimam judico, epiſcopos pleroſque omnes, qui per tria quatuor, & plura ſæcula, præſertim in Italia, fuerunt, & in catholica communione objerunt, in ſuis quoſque eccleſis, uti ſanctos habitos eſſe (*a*), ſupplendus quidem erit canon eccleſiæ Veronenſis, non ex lutulentis illis rivulis, hoc eſt ex catalogis vulgo notis, ſed ex puriſſimis fontibus, Rhythmo ſcilicet Pipiniano, & meo dipthycho Claſſenſi. Itaque ad paucos illos epiſcopos, quos olim ſacro cultu donatos fuiſſe conſtat, alios plures adjungere licebit, atque imprimis Papebrochii canone admiſſo, ex eo numero habendi erunt priores illi octo ad unum, qui tum ex Rhythmo Pipiniano, tum ex noſtro diptycho innoteſcunt. Et quoniam ſancto *Zenoni*, qui octavus cathedram Veronenſem tenuit, non *Syagrium*, ut Maffejo, aliiſque perſuaſum erat, ſed *Agapitum*, huic autem *Lucium* ſucceſſiſſe oſtendimus, hos quoque, & alios plures ex iis, qui ſecuti ſunt, credibile eſt ſummo in honore fuiſſe apud Veronenſes, præſertim cum epiſcopatum geſſerint feliciſſimo illo tempore, cum eccleſia Veronenſis per S. *Zenonem* maxime amplificata florebat. *Zeno* enim, ut traditur in Rhythmo Pininiano

Veronam prædicando reduxit ad baptiſmum (*a*).

X.

Quid ergo inquies? Num parvo hoc ſupplemento tantam jacturam ſarciri poſſe putabis, & interim ex canone Veroneſis eccleſiæ tot epiſcopos ſacro cultu donatos, qui in tuo diptycho Claſſenſi locum habere nequeunt, expunges? Ego vero privatus homo, privata, ſeu potius nulla auctoritate, nihil hic novare auſim, nec cenſuram adeo acerbam mihi arrogabo. Curabunt id fortaſſe aliquando paſtores eccleſiæ Veronenſis, quorum maxime intereſt. Curabunt, ſi qui erunt deinceps, qui Mrologium Romanum novis curis expurgari poſſe judicent, in quo nuper operam longe utiliſſimam contulit SS. D. N. Benedictus XIV. Pontifex vere

---

(a) *Papebroc. exegeſ. de epiſc. Mediol. P. j. ſub initium. Extat in Act. Ss. tom. vj. Maji.*

(b) *Vid. Ballerin. diſſert. iij. in oper. S. Zen. c. j. §. ij. p. cxiij. cxiv.*

vere Optimus Maximus, & maximo reipublicæ chriſtianæ bono natus. Mihi vero ſatis eſt digitum intendiſſe ad fontem, unde male affectis catalogis epiſcoporum Veronenſium medicina parari, & faſtis eccleſiaſticis, ſi qua in parte vitiati ſunt, ob epiſcopos aliquos Veronenſes perperam intruſos, ſua puritas reſtitui poſſit.

X I.

Neque vero timendum eſt, ne venerabilis traditio eccleſiæ Veronenſis violetur, ſi quis manum medicam ejus vulgatis epiſcoporum catalogis admovere aggrediatur. Nego enim ejuſmodi catalogis veram, ac genuinam ejus eccleſiæ traditionem contineri, quos conſtat eo demum tempore conſarcinatos fuiſſe, quo legitimam traditionem novi errores infecerant. Produnt ipſi ſuum ubique vitium, & neque cum Rhythmo Pipiniano, neque cum meo diptycho, neque cum inſcriptione illa, quæ eſt ad divi Stephani, neque etiam inter ſe conſentiunt, quæ niſi ſunt ſpuriæ mercis indicia, quænam tandem eſſe dices? Vera igitur eccleſiæ Veronenſis traditio non in iis catalogis quærenda eſt, ſed ex Ryhthmo Pipiniano eruenda, quo ad priores octo epiſcopos, tum ex diptycho Claſſenſi, quo ad reliquos uſque ad Sigibertum. Ut enim nihil non vitioſum occurrit, in ijs catalogis ita in diptycho Claſſenſi nihil eſt, quod ei ſummam fidem non conciliet. Qui antiquiora muſiva ſæculo VI. VII. VIII. Ravennæ, & Romæ picta viderit, nihil magis ſimile dicet. Ipſa literarum forma non diſparem antiquitatem indicare videtur (a). Adde nobile ipſum aureæ picturæ genus, & totius operis artificium, quod ſupra deſcripſimus, in quo nihil eſt quod poſteriorum temporum mendicitatem ſapiat. Adde tot ſanctorum imagines nudo capite, nec nimbo ſaltem ornatas; & clericalis tonſuræ formam, aliam plane ab ea, quam X. XI. &

L 2 ſequen-

(a) *Qui lacinias caſulæ Claſſenſis viriculo in tabula prima expreſſit, figuras quidem ſumma fide delineavit, literas vero dum emendare voluit, corrupit. Ei malo tantiſper occurſum eſt, literis, quæ ſunt in media ipſa tabula circa S. Firmi imaginem, alia manu curſim refectis, cum hæc diſſertatio ſub prælo eſſet.*

quam x. xi. & ſequentibus ſæculis in uſu fuiſſe (*a*) veteres picturæ demonſtrant: ipſam denique caſulæ Claſſenſis magnitudinem, de qua ſupra dictum eſt. Non temere itaque dixiſſe me puto, diptychum hoc Veronenſis eccleſiæ videri ſæculo viii. tribuendum. Nihil certe in eo eſt, quod eo ſæculo non congruat, quo etiam ſæculo *Sigibertus* vivebat, epiſcoporum Veronenſium ultimus, qui in eo pictus eſſet.

XII.

Stat igitur ex caſula Claſſenſi potius, quam ex vulgatis catalogis repetendam eſſe legitimam traditionem eccleſiæ Veronenſis, quo ad ſucceſſionem epiſcoporum ejus eccleſiæ, qui ab *Euprepio* ad *Sigibertum* fuerunt. Atque hæc quidem uberius perſequi poſſem, non doctis quidem hominibus, & prudentibus; quis enim ex eo numero de his dubitet? ſed, ut ignaro etiam popello perſuaderem, in locupletiſſimis illis catalogis epiſcoporum Veronenſium multum inviſæ filicis, tandem aliquando averruncandæ, ſuccreviſſe, & immodicum illum ſanctorum numerum, qui iiſdem catalogis continentur, non ejuſmodi eſſe, ut de eo reſecando, & reformando cogitare nefas ſit. Sed mihi certum eſt hanc provinciam doctis Veronenſibus relinquere, qui non minimam hanc partem ſuæ hiſtoriæ eccleſiaſticæ, ſi meis conatibus juvari poſſe judicaverint, præclare mecum actum eſſe putabo.

INDEX

(a) *Eorum temporum corona clericalis non diſſimilis fuiſſe videtur ab ea, quam nunc retinent religioſi plerique ordines ſeverioris diſciplinæ.*

INDEX CAPITUM

C A P. I.

I. *Ravennæ urbis antiqua diviſio. In ejus parte, quæ Claſſis dicebatur, nobile templum Sancto Apollinari ſacrum. II. Pretioſa caſula in ejus templi ſacrario. III. A Rubeo deſcribitur. IV. Chriſtiani Auguſti Salig de caſula Claſſenſi in Rubeum cenſura. V. Ejuſdem conjectura infelix de epiſcopis in caſula Claſſenſi pictis. VI. Non ignota Juſto Fontaninio, & Dominico Georgio caſula Claſſenſis. VII. Epiſcopi Veronenſes in ea caſula expreſſi. VIII. Eorum ſeries duplici ſchemate expoſita. IX. X. Caſulæ Claſſenſis dimenſio.* Pag. 1.

C A P. I I.

I. *Veteris caſulæ forma. II. Ejus ornatus multiplex. Imagines variæ, caſulæ ſacræ appingi ſolitæ. III. Epiſcoporum imagines, ſtudioſe in eccleſia ſervatæ. Exemplum eccleſiæ Neapolitanæ. IV. Item & CPolitanæ, ex Anaſtaſio. V. Et Ravennatis, & Romanæ. VI. Series antiſtitum Ravennatum, in altaris velamine expreſſa. VII. Ad eum modum & Veronenſium ſeries in caſula Claſſenſi. Veronenſis nominis celebritas apud Ravennates.* Pag. 11.

C A P. I I I.

I. *Pretioſa tænia caſulæ ſacræ aſſuta, ad modum veteris pallii archiepiſcopalis. Non alia ab aureo clavo, ſive chryſoclavo. II. De veſte chryſoclava variæ eruditorum opiniones. III. Clavorum figura, qui veſtibus inſui ſolebant, ex antiquis picturis, præſertim Ravennatibus. IV. Chryſoclava veſtis eadem, ac auriclavia. V Caſula S. Jo. Angeloptis. VI. Ejus comparatio cum caſula Claſſenſi. Orbiculi, tabulæ, cruces chryſoclavæ. VII. In re veſtiaria, pro chryſoclavo, auriphrygium, ſive phrygium, poſterior ætas dicere amavit. VIII. Caſula vetus auriphrygio ornata. Cangius notatus. IX. Superhumerale, & Rationale. Pectorale, & Dorſale. X. Auriphrygii forma ex laciniis noſtræ caſulæ. XI Progreſſu temporis mutata. XII. Tandem iſtiuſmodi ornatus adhiberi deſitus.* Pag. 19.

C A P. I V.

I. *Quænam ſacrarum imaginum diſtributio in caſula diptycha Claſſenſi.*

ſenſi. II. Imagines in caſulæ dorſo tranſverſim locatæ. III. Singulæ in ſingulis orbiculis pictæ. IV. Crux argentea eccleſiæ Ravennatis ejuſmodi orbiculis ornata. Pag. 32.

CAP. V.

I. Caſula Claſſenſis latius deſcripta. II. Textrina, & ars plumaria ſequioris ævi. III. S. Aldhelmi locus inſignis de arte plumaria. IV. Singulæ imagines in laciniis caſulæ Claſſenſis perpenſæ. Epiſcopi omnes ibidem caſula induti. Colorum varietas in ſacris veſtibus. V. Liber evangeliorum in epiſcoporum manibus. Benedicendi ritus. VI. Barbiraſium, & corona clericalis. VII Epiſcopi omnes, in noſtris laciniis, capite nudo. VIII. S. Firmus martyr epiſcopali habitu expreſſus. IX. Idem ſine nimbo, ſanctitatis inſigni. X. Quam antiquus nimbi uſus in ſacris imaginibus. XI. Michaelis archangeli caput nimbo ornatum. Globus, mundi ſymbolum, in manu ejus ſiniſtra. Virga etiam angelis tributa in antiquis picturis. XII. Arundo in angelorum manibus. XIII. An haſta, & ſecuris angelis tributa. Pachimeris ea de re teſtimonium expenſum. Angeli labarum geſtantes in muſivo Claſſenſi. XIV. Item in tabulis argenteis vetus ſacramentarium contegentibus. XV. Candida vitta circa angelorum capita. XVI. Ciampinius non bonus Pachimeris interpres notatus. XVII. Michaelis nomen, qua ratione olim ſcribi ſolitum. Pag. 37.

CAP. VI.

I. Catalogi antiſtitum Veronenſium collati cum diptycho Claſſenſi. II. Ejus diptychi cum Rhythmo Pipiniano conſenſus, quo ad priores octo epiſcopos. III. Canones duo pro ceteris epiſcopis rite diſtribuendis. IV. Succeſſio quatuor epiſcoporum, poſt priores octo, ſecundum rationem temporis digeſta. V. Alii rurſum epiſcopi tres & viginti certa ratione collocati. VI. JUNIORIS, & SIGIBERTI ætas cognita, aliorum ætati utcumque cognoſcendæ opportuniſſima. VII Quatuor reliquis locus, ex conjectura aſſignatus. Singulorum ordo expoſitus. Pag. 52.

CAP. VII.

I. De nonnullis epiſcopis ſeorſim aliqua. EUPREPIUS, DIMIDRIANUS SIMPLICIUS ſæculo Chriſti tertio non antiquiores. II. PROCULUS initio ſæculi quarti affigendus, tum SATURNINUS, dein LUCILLUS

poſtea

poſtea GRICINUS, *demum* ZENO. STAGRIUS *S. Ambroſio æqualis*. *III. Idem* ZENONIS *ſucceſſor vulgo habitus, fortaſſe non recte*. *IV.* SIABRINUS *a Rubeo dictus, idem ac* STAGRIUS. *V. Nec* ZENONIS *epiſcopatus adeo diutinus, ut aliquibus videtur, nec ſat certa* STAGRII *ætas*. *VI. De* LUPINO, *ſeu* LUPICINO, PETRONIO, *& aliis*. GAUDENTIUS *fortaſſe Veconenſis potius, quam Veronenſis*. *VII.* SERVULUS *etiam, ſive* SERVIDEUS, *non ſatis certo Veronſibus aſſertus*. SOLATIUS *extra communionem catholicam mortuus*. JUNIOR *e ſchiſmate ad unitatem eccleſiæ redux*. *VIII. IX. Epiſcopi plures Veronenſibus catalogis additi, plures expuncti*. PATERNUS *ex male intellecta epigraphe erutus*. DOMINICUS, *ſeu* DOMNICUS *indidem reſtitutus*. *X. Siglarum* VB. *vera lectio*. *Epiſcopi beatiſſimi appellati*. *Noſtri Ravennates etiam ter beatiſſimi*. *XI. Vetus inſcriptio Claſſenſis, & titulus ſepulchralis* THEODORI *archiepiſcopi*. *XII. Inſcriptio Veronenſis, in qua pro* PATERNO, *legendum* PATER NOSTRO. *XIII. Ea lectio variis conjecturis firmata*. *XIV.* ANDREAS, *&* SIGIBERTUS *omnium poſtremi in caſula Claſſenſi*. Pag. 59.

CAP. VIII.

I. Scrupulus evellendus ex traditione eccleſiæ Veronenſis, quæ multos colit epiſcopos, in caſula Claſſenſi prætermiſſos. Horum plures memorat vetus inſcriptio Veronenſis. II. Plures etiam Joannes Manſionarius. Nonnullos denique Rhythmus Pipinianus. III. Sed Rhythmus Pipinianus nobis non adverſatur. IV. Nec ea inſcriptio videtur admodum antiqua. V. Nec magna Manſionarii auctoritas. VI. Notus Joanni Manſionario Rhythmus Pipinianus. VII. Catalogi Veronenſes, undenam adeo corrupti. VIII. Quinam Epiſcopi Veronenſes, antiquo cultu inſignes, ex codicibus liturgicis noti. IX. Quinam iis adjiciendi. X. Num ulli epiſcopi, ſanctitatis nota vulgo clari, expungendi. XI. Genuina traditio eccleſiæ Veronenſis minime læſa. Caſulæ Claſſenſis antiquitas. XII. Operis concluſio. Pag. 73.

FINIS.

Errata majoris momenti ſic corriges.

Pag. 3. *lin.* 11. *diptychorum*. *pag.* 4. *l.* 25. reprehendendus. *pag.* 14. *l.* 34. epiſcoporum. *pag.* 15. *l.* 7. 8. antiſtite *pag.* 22. *l.* 24. Michaelis *pag.* 23. *l.* 26. cimelia *pag.* 27. *l.* 9. habebat *pag.* 30. *l.* 24. auriphrygio *pag.* 33. *l.* 11. eccleſiæ *pag.* 35. *l.* 3. Paciaudus *pag.* 38. *l.* 26. aureæ *l.* 29. ſupereſt *pag.* 40. *l.* 29. Michaelis *pag.* 41. *l.* 25. oſtendunt *pag.* 44. 1. V. C. quo *pag.* 47. *l.* 6. ſanctorum & epiſcoporum *pag.* 59. *l.* 17. Stagrius.